Aoristi infinitivus Homericus ad verba dicendi et sentiendi relatus num futurum tempus significare possit.

scr.

S. J. CA[redacted]

Ante hos octo annos *de temporum infinitivi usu Homerico* libellum edidi, in quo quum breviter docuissem, quid inter infinitivos præsentis et aoristi illis locis, ubi aoristi infinitivus præteritum tempus non indicaret, usus et significationis esset discrimen, de temporibus infinitivi post dicendi et sentiendi verba copiosius exponens ante omnia operam dedi, ut eam quæstionem dijudicarem, possetne aoristi infinitivus apud Homerum ad hæc verba relatus futuri temporis habere significationem. In hac autem commentationis meæ parte id mihi vel maxime propositum fuit, ut hanc futuri temporis significationem aoristi infinitivo Homerico, quantum maxime possem, abjudicarem, quum docerem aliis locis aoristi infinitivum non recte de tempore futuro interpretatos esse viros doctos, aliis facillima unius literæ mutatione aoristi infinitivum in futurum emendari posse, nonnumquam verbum illud, ad quod referretur aoristi infinitivus, non verum sentiendi aut dicendi esse verbum defenderem. Qua in re pertractanda auctorem potissimum secutus sum Madvigium, qui et in libro suo de syntaxi Græca [1], quando aoristi infinitivus futurum tempus indicare posset, breviter docuit et duobus præterea locis [2] de tota hac quæstione tam docte, tam copiose, tam clare

---

[1] *Græsk Ordf.* § 172 Anm. 1.

[2] *Bemerkungen über einige Puncte der Griechischen Wortfügungslehre:* III. *Ueber die bedeutung des aorists im infinitiv mit einer anmerkung über das participium des aorists.* pp. 29—46. — *Adversaria Critica ad scriptores Græcos et Latinos.* Vol. I. Lib. I. Cap. IV. *Probabilitatis criticæ in rebus grammaticis æstimandæ leges explicantur et certo exemplorum genere declarantur*, pp. 155—182.

exposuit, ut mihi quidem hæc legenti dubitari vix posse videretur, quin quisquis expositionem Madvigii diligentius perlegisset, facile sibi persuasurus esset omnia eum recte docuisse. Quæ opinio me valde fefellit. Nam quamquam negari non potest viros doctos, qui in carminibus Homericis explicandis et interpretandis his proximis annis versati sunt, ad hanc ipsam quæstionem animos diligentius attendisse, tamen de hac re inter viros doctissimos nondum convenit. Nauckius quidem in editione Homerica [1] multos aoristos in futura mutavit; præterea C. G. Cobetus [2], qui etiam antea [3] huic quæstioni operam dederat, et S. A. Naber [4] eos aoristos, qui facili mutatione in futura redigi possunt, emendaverunt, quamquam hi duo nonnumquam tales formas mutaverunt, quas mutari neque necesse esset neque oporteret. Contra plurimi, credo, editores hos aoristos retinendos esse censent, et vir de interpretatione Homeri meritissimus C. Hentzius in commentariis hunc aoristi usum compluribus locis defendere conatus est [5]. Quod autem quærit Madvigius ad finem perducta hac quæstione, *'satisne multa* (verba de re parva nec nova fecerit) *ad expellendum veterem errorem et ad ignaviam quærendi, levitatem fingendi ex hoc saltem loco fugandam'* [6], nisi fallor, et ii, qui Madvigii sententiam amplexi sunt, pluribus etiam verbis opus esse satis cognoverunt ad aoristos illos de futuro tempore usurpatos e contextu Homerico removendos, neque ii, qui aoristos illos futurum tempus significantes tuentur, ignaviæ aut levitatis crimen facile agnoscent.

Quum ad studia Homerica retenta animo remissa temporibus non ita pridem me retulissem atque ea, quæ recentissimis temporibus de significatione temporum infinitivi statuerunt viri docti, perquirere coepissem, magna cum delectatione percepi me non frustra in hac re tempus et operam consumpsisse commentationemque meam anno 1873 editam vel in recentissimis commentariis et lexicis Homericis non raro commemorari vel a viro de interpretatione carminum Homericorum optime merito C. Capellio dignam existimatam esse, de

---

[1] *Homerica Carmina ed. Augustus Nauck.* Vol. I. *Ilias* Pars I. Berolini 1877. Pars II. 1879. Vol. II. *Odyssea* Pars I. 1874. Pars II. 1874.

[2] *Miscellanea Critica*, Lugduni Batavorum 1876 pp. 328—330.

[3] *Variæ Lectiones*, 1854 pp. 98. 262, 269. — *Novæ Lectiones*, 1858, p. 164, 365 sq. 405.

[4] *Quæstiones Homericæ*, Amstelodami 1877 (Ed. Acad. Reg. disciplinarum Nederlandica) pp. 101—105.

[5] Cfr. *Anhang zu Homers Ilias*, I. Heft. Leipzig 1877 pp. 179, 180 ad Γ 28, *Anhang zu Homers Odyssea*, I. Heft. Leipzig 1879 pp. 63, 64 ad β 373; aliis quoque locis hæc res commemoratur.

[6] Adv. Crit. I. p. 182.

qua in *Philologo* [1] copiosius exponeret. Qua in libelli mei expositione humanitatis benevolentiæque plenissima quum dixisset vir doctissimus, quamquam omnino copia et diligentia scriptoris laudanda esset, tamen aoristi infinitivi post dicendi sentiendique verba de tempore futuro usum Homericum compluribus locis vel contextu verborum mutato vel interpretatione contorta nimis angustis circumscriptum esse terminis, locos illos Homericos, qui ad hanc quæstionem pertinerent, diligentius iterum inspicere constitui. Neque tamen mihi persuaderi potuit aoristi infinitivi de rebus futuris usum tam late patere, quam statuit Capellius potissimum post verba sentiendi; immo vero quamquam de nonnullis locis Homericis re diligentius considerata sententiam mutavi, tamen de universa hac quæstione Madvigium etiamnunc probo. Quæ quum ita sint, non alienum mihi visum est totam hanc quæstionem de aoristi infinitivo apud Homerum futurum tempus indicante iterum pertractare, præsertim quum ii, qui proximis annis hac in re versati sunt, Cobetus, Naber, Hentzius, alii non omnes locos in unum contulerint sed tantum plures quosdam paucioresve attigerint.

Sed quamquam hæc commentatio vel maxime in eo versabitur, ut dijudicetur, *possitne aoristi infinitivus apud Homerum ad dicendi sentiendique verba relatus futurum tempus significare*, tamen necessarium nobis visum est vel de singulorum infinitivi temporum vi et usu post verba dicendi et sentiendi nonnulla præmittere vel illis locis, ubi de verbis, post quæ futuri infinitivi, ut ita dicam, legitimus est usus, agetur, omnes locos afferre, ubi hæc verba apud Homerum cum infinitivo conjuncta occurrunt. Duæ igitur erunt hujus commentationis partes; in una de temporum infinitivi significatione post dicendi et sentiendi verba pauca quædam exponemus, in altera loci Homerici, ubi aoristi infinitivus futurum tempus significare visus est, afferentur et examinabuntur.

I.

Utcumque de origine ejus constructionis, quæ *accusativus cum infinitivo* vocatur, judicamus, negari non potest infinitivos illos, qui in hac constructione post dicendi et sentiendi verba occurrunt, prædicato enuntiationis absolutæ in

[1] *Philologus*, XXXVII Band, 1877 pp. 113—121 (in: "*Die neueren arbeiten auf dem gebiete der Homerischen syntax. Zweiter Artikel* pp. 89—129).

indicativo (aut potentiali aut condicionali)[1] posito omnino respondere, quum non solum id quod dixit sed etiam id quod sensit aliquis ad eanden prorsus formam, qua in dicendo aut sentiendo usus sit is, cujus verba aut cogitata referantur, revocari posse necesse sit. Qui infinitivi quam arto vinculo cum indicativo conjuncti sint nulla ex re clarius apparet quam ex eo, quod ea verba, quæ in indicativo præsentis propriam quandam habent temporis significationem a ceteris verbis alienam, eandem temporis significationem in infinitivis ad verba non solum *dicendi* sed etiam *sentiendi* relatis retinent, quum hi infinitivi ad cetera verba relati nulla in re a ceteris infinitivis abhorreant. — Ut verba illa *οἴχομαι, ἵκω* (l. *ἥκω*). *ἱκάνω,* quæ in indicativo præsentis præteritum tempus indicant, post hæc verba præteriti temporis significationem retinent, velut δ 639 *οὐ γὰρ ἔφαντο | ἐς Πύλον οἴχεσθαι Νηλήιον* (non credebant *eum abisse*), ν 325 *οὐ γὰρ ὀίω | ἥκειν* (l. *ἵκειν*) *εἰς Ἰθάκην* (non puto *me venisse*) δ 139 *οἵτινες οἵδε | ἀνδρῶν εὐχετόωνται ἱκανέμεν ἡμέτερον δῶ.* — Eodem modo post *μέλλω,* quod in præsenti ad verba sentiendi prope accedit, inf. *ἀκούειν* Ξ 125 et δ 94 *τὰ δὲ μέλλετ' ἀκουέμεν* (hoc credibile l. verisimile est *vos audisse* l. *nosse; ἀκούω* enim idem est, quod *audiri* l. *novi*). — Atque etiam verba illa *εἶμι* et *νέομαι,* quæ in indicativo futurum tempus significant, in infinitivo post dicendi et sentiendi verba semper fere de futuro tempore usurpantur. Ut occurrit *ἰέναι* (*ἴμεν, ἴμεναι* comp.) post *φημί* Υ 365 *φάτο δ' ἴμεναι ἄντ' Ἀχιλῆος (se iturum),* ο 214 *οὐδέ ἕ φησι | ἂψ ἰέναι κενεόν,* post *ὀίω* (*οἴομαι*) Ξ 457 *καί μιν ὀίω | αὐτῷ σκηπτόμενον κατίμεν δόμον Ἄιδος εἴσω,* Ρ 710; Υ 142, post *εἴδομαι* θ 283 *εἴσατ' ἴμεν ἐς Λῆμνον* (simulavit *se iturum*) (post *ἔλπομαι* Κ 356? vide infra). — *νέεσθαι* (*ἀπονέεσθαι*) post *φημί* β 238 *τὸν δ' οὐκέτι φασὶ νέεσθαι* λ 176[3], ω 460, Ξ 221, Υ 212; post *οἴομαι* l. *ὀίω* Μ 73 *οὐκέτ' ἔπειτ' ὀίω*

---

[1] De potentiali et condicionali minus necesse est hoc loco agere, quoniam apud Homerum infinitivi his modis respondentes numquam fere occurrunt.

[2] Hoc Capellius (l. l. pp. 114, 115) ad dicendi tantum verba non ad sentiendi pertinere statuit; quod autem dicit aoristi infinitivum ad verba dicendi relatum eam ob rem, quod in oratione obliqua occurrat, aoristi indicativo respondere, id omnino eodem jure ad sentiendi verba referri potest. Præterea nihil esse, cur inter dicendi et sentiendi verba hoc loco distinguamus, ex eo vel maxime elucet, quod in verbo apud Homerum usitatissimo *φάναι* l. *φάσθαι* altera significatio cum altera adeo conjuncta est, ut hanc an illam habeat, non semper pro certo dijudicari possit. — Excipienda tamen sunt certa quædam sentiendi verba, *δοκεῖν* et similia, quorum post tempora præterita aoristi infinitivus sine præteriti temporis significatione nonnumquam occurrit. De quibus verbis postea nonnihil commemorabitur

[3] De χ 35, ubi Madvigius *οἴκαδε νεῖσθαι* legendum censet, Naber et Nauckius *ἀπονέεσθαι,* vide infra.

οὐδ' ἄγγελον ἀπονέεσθαι, σ 260; post *ἔολπα* **T** 330; post *ὑπισχνέομαι* (et *καταινεύω*) **B** 113, **E** 716. — At post verba, quæ numquam fere cum futuri infinitivo conjunguntur, hi infinitivi millies fere occurrunt, ut *βῆ ἰέναι*, *ὀτρυνέοντα νέεσθαι*, *βούλομαι ἤδη νεῖσθαι*.

Quum autem indicativus enuntiationis absolutæ non solum *genus temporis* — hoc enim nomine illud, quod Curtius *die Zeitart* appellat, significari posse videtur — quod stirpibus vel thematis præsentis, perfecti, aoristi exprimitur, indicet, sed etiam *spatium* vel *momentum temporis*, id quod Curtius *'die Zeitstufe'* vocat, hoc utrumque infinitivum indicare posse oportet, quamquam in infinitivo momentum temporis non ad tempus loquentis sed ad tempus verbi regentis refertur. Attamen quum neque in Latina neque in Græca lingua totidem inveniantur infinitivi, quot tempora sunt indicativi, apparet utramque rem in infinitivo non tam perspicue quam in verbo finito indicativo significari posse sed quosdam infinitivos duobus pluribusve indicativis respondere. Qua in re alia est linguæ Latinæ, alia Græcæ ratio. Nam in Latina quidem lingua, ubi themata præsentis et perfecti in illis enuntiationibus pendentibus, quæ infinitivo utuntur, nihil fere aliud spectant, nisi ut inter ea, quæ ad tempus enuntiationis regentis, et ea, quæ ad tempus antecedens pertinent, distinguant, omnia, quæ in recta oratione indicativo temporis præteriti (imperfecto, perfecto utroque, plusquamperfecto) exprimuntur, in obliqua oratione perfecti infinitivo significantur. Contra in lingua Græca, ubi themata præsentis, perfecti, aoristi certa quædam temporis genera indicant, numquam fere licet ex uno themate in alterum transire, sed infinitivi præsentis, perfecti, aoristi indicativis actionis imperfectæ (aut *perdurantis*), perfectæ, ingredientis respondeant necesse est. Unde factum est, ut, quum non satis respiceretur, quænam inter infinitivum et verbum, ad quod referretur, esset temporis ratio, præsentis infinitivus et *præsentis* et *imperfecti* indicativo responderet, itemque perfecti infinitivus et pro *perfecti* et pro *plusquamperfecti* indicativo usurparetur. Ut apud Homerum ϑ 516 *ἄλλον δ' ἄλλῃ ἄειδε πόλιν κεραϊζέμεν αἰπήν* | *αὐτὰρ Ὀδυσσῆα — βήμεναι* (ɔ: *ἐκεράϊζεν — ἔβη*); et præterea *εἶναι* l. *ἔμμεναι* (= *ὅτι ἦν*) occurrit **E** 639 *ἀλλ' οἷόν τινά φασι βίην Ἡρακληείην* | *εἶναι* et ϑ 181 *ἀλλ' ἐν πρώτοισιν ὀίω* | *ἔμμεναι ὄφρ' ἥβῃ τε πεποίϑεα χερσί τ' ἐμῇσι*. Perfecti infinitivus, quamquam in præsentis significatione, plusquamperfecto (imperfecto) respondens occurrit **Ω**. 546 *τῶν σε γέρον πλούτῳ τε καὶ υἱάσι φασὶ κεκάσθαι*.

De futuro tempore breviter commemorandum est, ut indicativus futuri et imperfectum et ingrediens temporis genus significare possit, ita infinitivum utrum-

que genus indicare posse. Ceterum futuri infinitivus ad dicendi et sentiendi verba totus fere pertinet, præterquam quod ad verbum *μέλλω* persæpe et ad nonnulla verba ejusdem fere significationis, quæ proprie verba sentiendi fuisse videntur, (*μέμαα*, *μέμονα*, sim.) non ita raro occurrit.

Jam ut ad aoristi infinitivum nos transferamus, illud primum monendum est, ut in indicativo aoristus usurpetur ad res præteritas indicandas nulla neque diuturnitatis aut iterationis neque actionis perfectæ ratione habita, quæ res imperfecto et plusquamperfecto significantur, ita infinitivo aoristi post dicendi sentiendique verba, hoc idem ut significaret, universe propositum esse, hanc autem præteriti temporis significationem, quæ in ipsa infinitivi forma, augmento non instructa, quod unum in lingua Græca ad præteritum tempus indicandum valet, non inveniatur, totam ex eo repetendam esse, quod infinitivus ille indicativo respondeat. Neque enim L. Meyero assentiri possumus statuenti præteriti temporis significationem inde profectam esse, quod aoristi infinitivus *præsentis (= actionis perdurantis)* significatione careret [1], quum satis constet præteriti significationem etiam in infinitivis præsentis (imperfecto respondentibus) persæpe occurrere neque in illis tantum præsentis infinitivis, quos (ut *εἶναι*) Meyer in aoristos refert, sed etiam in ceteris; ut apud Homerum *κεραϊζέμεν* occurrit *ϑ* 516, ex scriptoribus Atticis sexcenta exempla proferri possunt. Illud etiam addendum videtur, quum aoristi indicativus præteritum tempus *semper* indicet neque ulla occurrat indicativi forma actionis ingredientis, quæ præsenti actionis imperfectæ et perfectæ (= præsenti et perfecto) respondeat, infinitivum quoque aoristi post hæc verba *semper fere* usurpari de iis, quæ actioni verbi illius dicendi aut sentiendi, a quo pendet, antecedant, neque pro præsentí actionis ingredientis poni

---

[1] *Griechische Aoriste, Ein Beitrag zur Geschichte des Tempus- und Modusgebrauchs im Griechischen*, Berlin 1879, p. 80 *ὁ μὲν εὔχετο πάντ' ἀποδοῦναι* ‚der eine versicherte alles bezahlt zu haben; er betheuerte die Zahlung' Ilias 18, 499, welche Stelle nicht etwa die Bedeutung der Vergangenheit (‚bezahlt haben') für den Aoristinfinitiv (*-δοῦναι*) erweist, da solche Bedeutung vielmehr einzig durch die von *εὔχετο* ‚er versicherte' (im Gegensatz dazu liegt Ilias 2, 401 *εὐχόμενος ϑάνατόν τε φυγεῖν* ‚flehend dem Tode zu entgehen' bei der anders gebrauchten Bedeutung von *εὔχεσϑαι* der Inhalt des Aoristinfinitivs *φυγεῖν* in der Zukunft) in Verbindung mit der *nicht präsentischen* Bedeutung des aoristischen Infinitivs entsprang. — p. 85 *ἀλλά τιν' ὔμμ' ὀίω δόμεναι ϑεόν* ‚ich glaube dass sie euch ein Gott gegeben hat' Ilias 10, 551, wo die Bedeutung des Präteritums (‚gegeben hat') sich wieder nur durch die nicht-präsentische (‚dauernd geben') Bedeutung der Aoristform herausstellt.

posse. Gnomicum autem illum, qui vocatur, aoristum non facile transire posse in infinitivum ex ipsa re satis apparet [1].

Hoc loco non alienum nobis visum est, quo clarius appareat apud Homerum quoque ut de rebus futuris futuri, ita de rebus præteritis aoristi infinitivum usurpari, omnes eos locos Homericos in unum conferre, ubi post dicendi et sentiendi verba *φημί, οἴομαι,* alia infinitivi et aoristi et futuri occurrunt. Signo (*) eos locos notamus, de quibus dubitaverunt viri docti ob eamque rem postea mentio fiet. Inter eos infinitivos, qui post *φημὶ* et *οἴομαι* occurrunt, primum (**a**) eos afferemus, ad quos accusativus subjecti loco appositus est, deinde (**b**) eos, ubi vel subjectum, quod aut ex antecedentibus aut ex perpetuitate orationis facile auditur, omissum est vel infinitivus verbi impersonalis occurrit, tum (**c**) eos, ubi subjectum infinitivi, propterea quod idem est atque verbi regentis, omittitur.

Post *φημί* (*φάσθαι, φάσκειν*) igitur occurrit:

1. Infinitivus aoristi:

a) *B* 350 *φημὶ γὰρ οὖν κατανεῦσαι ὑπερμενέα Κρονίωνα,* *Γ* 393 *οὐδέ κε φαίης | ἀνδρὶ μαχησάμενον τόν γ' ἐλθεῖν,* *Z* 98, 109, *P* 28* *εὐφρῆναι,* 174, *Φ* 160; — *α* 220 *τοῦ μ' ἔκ φασι γενέσθαι,* *β* 171* *καὶ γάρ κείνῳ φημὶ τελευτηθῆναι ἅπαντα,* *γ* 85, 125 *οὐδέ κε φαίης | ἄνδρα νεώτερον ὧδε ἐοικότα μυθήσασθαι,* 188, 245, *δ* 201, 387, *ϑ* 565* *ἀγάσσασθαι,* *ι* 504, *ν* 173* (= *ϑ* 565), *ξ* 117, 327, *π* 143 (bis), 144, *σ* 128, 342*, *τ* 296.

b) *Δ* 375 *περὶ δ' ἄλλων φασὶ γενέσθαι* (sc. *Τυδέα*), *Ω* 608 *φῆ δοιὼ τεκέειν* (sc. *Λητώ*), *ϑ* 520 (subj. *Ὀδυσσέα*), *χ* 32 (subj. *Ὀδυσσέα*).

c) *A* 398 *ἔφησθα κελαινεφέι Κρονίωνι | οἴη ἐν ἀθανάτοισιν ἀεικέα λοιγὸν ἀμῦναι,* *Z* 185, 206, 285 *φαίην κε φρέν' ἀτέρπου ὀιζύος ἐκλελαθέσθαι,* *Θ* 239, *Y* 187, — *δ* 141 *οὐ γάρ πώ τινά φημι ἐοικότα ὧδε ἰδέσθαι,* 504*, *η* 239, *ι* 496* *ὀλέσθαι,* *λ* 306, *μ* 390, *ξ* 322 (bis), 382, *π* 63, *ρ* 115, 142, *τ* 380, *χ* 314 (bis).

Aoristi infinitivus cum *ἄν* ad significationem futuri infinitivi prope accedens occurrit I 684 *καὶ δ' ἂν τοῖς ἄλλοισιν ἔφη παραμυθήσασθαι* optativo cum *ἄν* I 417 *καὶ δ' ἂν τοῖς ἄλλοισιν ἐγὼ παραμυθησαίμην* respondens.

2. Infinitivus futuri:

a) *E* 104 *οὐδέ ἕ φημι | δήθ' ἀνσχήσεσθαι κρατερὸν βέλος,* 120, 190, 653, *Z* 502, *H* 118, *K* (51), 331, 371, *Λ* 444, 590, *M* 126 (bis), 166, *N* 100,

[1] Cfr. Madvig. Adv. Crit. I. p. 171 — — quos (= gnomicos aoristos) vellem dixisset (Hermannus) ubi infinitivo modo repperisset: tota enim hæc forma narrationem rei tamquam factæ pro sententia generali substituens rectæ orationis propria est.

416, *Ξ* 265 *ἀρηξέμεν* (v. l. *ἀρηγέμεν*), 375, *O* 98, *Σ* 133, *Y* 263, *Φ* 278, 316, *Ψ* 580, 668; — *δ* 494 *οὐδέ σέ φημι | δὴν ἄκλαυτον ἔσεσθαι ἐπὴν εὖ πάντα πύθηαι*, *ε* 302, *ζ* 257, *ι* 511, *κ* 285, 331, *ν* 132, *ξ* 150, 176, *σ* 146, *ψ* 72, 284.

Observandum est *Y* 361 *οὔ μέ τί φημι μεθησέμεν οὐδ' ἠβαιόν*, ubi expositum est subjectum infinitivi, quamquam idem est, quod verbi finiti.

Præterea post *εἶπον* *Σ* 11 *μήτηρ — μοι ἔειπε | Μυρμιδόνων τὸν ἄριστον ἔτι ζώοντος ἐμεῖο | χερσὶν ὕπο Τρώων λείψειν φάος ἠελίοιο.*

b) *E* 654 *σοὶ δ' ἐγὼ ἐνθάδε φημὶ — — ἐμῷ δ' ὑπὸ δουρὶ δαμέντα | εὖχος ἐμοὶ δώσειν ψυχὴν δ' Ἄϊδι κλυτοπώλῳ* (= *Λ* 445). — I. 235 *οὐδ' ἔτι φασὶ | σχήσεσθ' ἀλλ' ἐν νηυσὶ μελαίνῃσιν πεσέεσθαι* (= *M* 107 = *P* 639, subjectum infinitivorum omnibus his locis videtur esse *ἡμᾶς*). — *α* 168 *εἴπερ τις ἐπιχθονίων ἀνθρώπων | φῇσιν ἐλεύσεσθαι* (subj. *Ὀδυσσέα*), *β* 176 (subj. *Ὀδυσσέα*), *δ* 664 (subj. *ὁδόν* = *π* 347), *ϑ* 569 (bis, subj. *Ποσειδῶνα* = *ν* 177), *ι* 512 (subj. *ἐμέ*), *ξ* 384 (subj. *Ὀδυσσέα*).

c) *B* 37 *φῆ γὰρ ὅ γ' αἱρήσειν Πριάμου πόλιν ἤματι κείνῳ* *E* 190, 473, *H* 393, *Θ* 499, *N* 89, 786 *οὐδέ τί φημι | ἀλκῆς δευήσεσθαι* [1], *O* 252, 700 (bis), *Π* 62, 830 *κεραϊξέμεν* [2], 832, *Σ* 326, *T* 298 (bis), 299, *X* 332. — *δ* 171 *καί μιν ἔφην ἐλθόντα φιλησέμεν ἔξοχον ἄλλων*, *ε* 136, 290, [*η* 257], *λ* 432, *ν* 212, 357, *ξ* 481, *π* 24, *ρ* 42, *σ* 132, *φ* 104, *ψ* (128) 336, *ω* 470*.

Post *οἴομαι* (*οἴω*, *ὀίομαι*, *ὀίω*) occurrit:

1. Infinitivus aoristi semper accusativo exposito: *A* 558 *τῇ σ' ὀίω κατανεῦσαι ἐτήτυμον*, *K* 551, *Ξ* 455, *Ψ* 467 (bis). — *α* 173 *οὐ μὲν γάρ τί σε πεζὸν ὀίομαι ἐνθάδ' ἱκέσθαι* (fere = *ξ* 190 = *π* 59 = *π* 224); *γ* 28 *οὐ γὰρ ὀίω | οὔ σε θεῶν ἀέκητι γενέσθαι τε τραφέμεν τε*, *τ* 569 *ἐμοὶ οὐκ ἐντεῦθεν ὀίομαι αἰνὸν ὄνειρον | ἐλθέμεν.*

2. Infinitivus futuri:

a) *A* 60 *νῦν ἄμμε πάλιν πλαγχθέντας ὀίω | ἂψ ἀπονοστήσειν*, 204, 289, 427, *E* 252, 285, 288*, 351, 644, 646, *Z* 353, *I* 315, 655, *K* 106, *Λ* 609, 764, *N* 747, *O* 299, *P* 503, *T* 64, 72, *Y* 363, *Φ* 399, 533, *Ψ* 310, *Ω* 355, 728. — *β* 198* *οὐ γὰρ πρὶν παύσεσθαι ὀίομαι υἷας Ἀχαιῶν*, *γ* 226, *ι* 214, *ν* 6, 395, *π* 311, 373, 377, *ρ* 7, 461, *σ* 23, 149 (*διακρινέεσθαι*), *υ* 180 (*διακρινέεσθαι*), *φ* 92 (*ἐντανύεσθαι*, quod tamen fortasse potius præsens putan-

[1] Ebelingius (Lex. Hom. *φημί*) statuit hoc loco subjectum verbi *δευήσεσθαι* esse *ἡμᾶς*.

[2] Lectionem codicum *κεραΐζέμεν* in *κεραϊξέμεν* emendavit Bekker eumque non sine causa secuti sunt Kochius, Nauckius, alii.

dum est), 261, 322, *χ* 14 (subj. *μοῦνον*), 67, 215 (*τελέεσθαι*, quod etiam præsens esse potest).

b) *M* 66 *στεῖνος γάρ, ὅθι τρώσεσθαι ὀίω* (sc. *ἱππέας*), 217 (*ἐκτελέεσθαι*), *O* 292 (*ἔσσεσθαι*), *Y* 195 (*σε ῥύεσθαι* an *σ' ἐρύεσθαι*?). — *α* 201 *ὡς τελέεσθαι ὀίω* (= *ο* 173), *ζ* 174 (subj. *κακόν*), *λ* 102 (subj. *σέ*), *μ* 212 (subj. *ἡμᾶς*).

c) *A* 78 *ἦ γὰρ ὀίομαι ἄνδρα χολωσέμεν*, 171 *οὐδέ σ' ὀίω ἐνθάδ' ἄτιμος ἐὼν ἄφενος καὶ πλοῦτον ἀφύξειν* (gedenke, bin willens), 296, *Δ* 12, *Z* 341, *O* 728, *Φ* 93. — *ϑ* 203 *τάχα δ' ὕστερον ἄλλον* / *ἥσειν ἢ τοσσοῦτον ὀίομαι ἢ ἔτι μάσσον*, *τ* 215 (gedenke), 581, *υ* 21, *φ* 79 (= *τ* 581).

Præterea hoc loco hæc verba afferenda sunt:

δοκέω (*δοκεῖ*) cum *infinitivo futuri: H* 192 *ἐπεὶ δοκέω νικησέμεν Ἕκτορα δῖον*, *Z* 339 *δοκέει δέ μοι ὧδε καὶ αὐτῷ* / *λώιον ἔσσεσθαι*, I 626 *οὐ γάρ δοκέει μύθοιο τελευτή* / *τῇδέ γ' ὁδῷ κρανέεσθαι.*

εὔχομαι in significatione *gloriandi*, *confirmandi*, *prædicandi* cum *aoristi infinitivo* occurrit: *Θ* 254, 255 *ἔνθ' οὔ τις πρότερος Δαναῶν πολλῶν περ ἐόντων* / *εὔξατο Τυδείδαο πάρος σχέμεν ὠκέας ἵππους* / *τάφρου τ' ἐξελάσαι καὶ ἐναντίβιον μαχέσασθαι*, *K* 368 *ἐπευξάμενος βαλέειν*, *Ξ* 485 *τῶ καί κέ τις εὔχεται ἀνὴρ* / *γνωτὸν ἐνὶ μεγάροισιν ἀρῆς ἀλκτῆρα λιπέσθαι*(?), *Σ* 499 *ὁ μὲν εὔχετο πάντ' ἀποδοῦναι*, *Φ* 501 *εὔχεσθαι ἐμὲ νικῆσαι*, *λ* 261 *Διὸς εὔχετ' ἐν ἀγκοίνῃσιν ἰαῦσαι.* Post *εὐχετάομαι aoristi infinitivus* occurrit *μ* 99 *παρφυγέειν.* — Loci, ubi *εὔχομαι* in promittendi significatione cum futuri infinitivo conjungitur, postea (II. B.) afferentur.

αὐδάω cum *infinitivo aoristi K* 48 *οὐ γάρ πω ἰδόμην οὐδ' ἔκλυον αὐδήσαντος* / *ἄνδρ' ἕνα τοσσάδε μέρμερ' ἐπ' ἤματι μητίσασθαι.*

ἀείδω cum *infinitivo aoristi ϑ* 518 — *ἄειδε* — *Ὀδυσσῆα προτὶ δώματα Δηϊφόβοιο* / *βήμεναι.*

Hic etiam commemorandi sunt ii loci, ubi post præsens tempus verbi *μέλλω* infinitivi aoristi et futuri occurrunt; nam post hoc tempus verbi *μέλλω*, quod ad significationem verbi sentiendi (= significationem passivam verbi *δοκεῖν* = *videri*, verisimile, credibile esse) proxime accedit, infinitivi aoristi et futuri eadem prorsus temporis significatione, atque post *φημί* et *οἴομαι*, utuntur [1]. *Aoristi infinitivus* occurrit *N* 776 *ἄλλοτε δή ποτε μᾶλλον ἐρωῆσαι πολέμοιο* / *μέλλω*,

---

[1] Post *μέλλω* etiam præsentis infinitivus imperfecto respondens occurrit *χ* 322 *εἰ μὲν δὴ μετὰ τοῖσι θυοσκόος εὔχεαι εἶναι* / *πολλάκι που μέλλεις ἀρήμεναι ἐν μεγάροισιν* / *τηλοῦ ἐμοὶ νόστοιο τέλος γλυκεροῖο γενέσθαι.*

δ 378 *ἀλλά νυ μέλλω / ἀθανάτους ἀλιτέσθαι*, *υ* 134 *τοῦ δ' ἤδη μέλλουσι κύνες ταχέες τ' οἰωνοί / ῥινὸν ἀπ' ὀστεόφιν ἐρύσαι.* Neque vero quidquam impedire videtur; quominus statuamus aoristi infinitivum præteritum significare his locis *Σ* 362 *καὶ μὲν δή πού τις μέλλει βροτὸς ἀνδρὶ τελέσσαι* et *Ω* 46 *μέλλει μέν πού τις καὶ φίλτερον ἄλλον ὀλέσσαι*, quamquam his infinitivis interpretes vulgo præsentis significationem addunt. — *Futuri infinitivus* occurrit *Ψ* 544 *μέλλεις γὰρ ἀφαιρήσεσθαι ἄεθλον*: præmium mihi videris *erepturus esse.*

Qui autem post *sperandi, promittendi, minandi, jurandi* verba et locutiones occurrunt infinitivi aoristi et futuri, in illis, quæ sequuntur II. B., cuncti afferentur.

At quod dicitur nihil sine exceptione valere, id etiam ad aoristi infinitivi significationem post dicendi et sentiendi verba pertinet. Fit enim nonnumquam — eodem modo, quo aoristi participium ad indicativum aoristi aut ad præsens historicum relatum amissa illa antecedentis actionis significatione idem tempus, quod verbum finitum, indicat [1] — ut infinitivus aoristi ad tempus præteritum relatus non ea, quæ actioni verbi finiti antecedunt, significet sed rem quandam præteritam ad idem tempus, quod exprimit verbum finitum, relatam indicet [2]. Neque tamen, quantum vidi, hic aoristi infinitivi usus occurrit nisi post verba quædam sentiendi *δοκεῖν* et similia, quæ passivæ significationi verbi *videndi* respondent; et quidem sæpissime invenitur post verbum *δοκεῖν* illis locis, ubi de somniis, visis, portentis mentio fit, quibus locis satis perspicitur utramque actionem ad idem tempus pertinere et nonnumquam actio infinitivi ipsa per se vix cogitari possit, ut *Plat. Crit.* 44 *ἐδόκει τις γυνὴ — καλέσαι με (me vocare videbatur) καὶ εἰπεῖν*, *Xen. Anab.* III. 1. 11 *ἔδοξεν αὐτῷ βροντῆς γενομένης σκηπτὸς πεσεῖν εἰς τὴν πατρῴαν οἰκίαν*, apud Herodotum etiam post *δοκεῖν* in activa significatione *(somniare, somno videre)* ut VII. 12 *ἐδόκεε ὁ Ξέρξης ἄνδρα οἱ ἐπιστάντα — εἰπεῖν.* Quamquam etiam aliis locis post *δοκεῖν* aor. inf. ita usurpari testimonio est *Xen. Anab.* I. 6. 5 *Κλέαρχος καὶ αὐτῷ καὶ τοῖς ἄλλοις ἐδόκει προτιμηθῆναι μάλιστα τῶν Ἑλλήνων* (ɔ: primum inter Græcos locum *tenere* — videbatur). Apud Homerum unum tantum ejusmodi exemplum vidi, post *εἴδομαι* I 645 *πάντα τί μοι κατὰ θυμὸν ἐείσαο μυθήσασθαι* (*dicere* visus es).

---

[1] Cfr. Madvig., Bemerkungen p. 45.

[2] Cfr. Chr. Cavallin, *Grekisk Syntax* § 231 et commentationem meam: *De Xenophonteo Temporum et Modorum usu* et c. P. I p. 35, not. (in 'Actis Universitatis Lundensis' Tom. XVI.).

II.

Sed jam ad eam ipsam quæstionem transgrediendum est, quam nobis hoc tempore tractandam suscepimus, possitne aoristi infinitivus ad dicendi et sentiendi verba relatus abjecta præteriti temporis significatione, quæ post hæc verba ei propria est, in significationem prorsus contrariam abiens futurum tempus significare. Quorum infinitivorum numerus quamquam proximis temporibus multo minor factus est, quum vel diligentius inspectis libris manuscriptis futurum legendum esse cognitum sit, vel contra auctoritatem librorum aoristi in futura a viris in his rebus clarissimis, Madvigio, Cobeto, aliis mutati sint, vel intellectum sit aoristos quosdam de futuro tempore explicatos re vera præteritum tempus indicare, tamen ut apud ceteros scriptores Græcos ita apud Homerum complures etiamnunc restant, nonnulli haud scio an semper mansuri sint. Hic aoristi infinitivi usus quam late pateat apud Homerum, in hac altera hujus commentationis parte dijudicare conabimur, in qua primum de aoristi infinitivis post dicendi et sentiendi verba, quæ ipsa temporis futuri non habent significationem (*φημί, οἴομαι*, similia), mentionem faciemus, tum de illis, qui post verba *sperandi* et *exspectandi*, *promittendi* et *minandi*, *jurandi* occurrunt.

A.

Quisquis syntaxis linguæ Græcæ non omnino rudis erit, ei haud dubie prorsus incredibile videbitur in hac lingua formis adeo abundante fieri potuisse, ut eadem forma post idem verbum in eadem significatione positum res tam contrarias, quam sunt tempus præteritum et futurum, indicaret, ita ut *φημὶ* (*οἴομαι*) *ποιῆσαι* et *dico (puto) me fecisse* et *dico (puto) me facturum esse* significaret, præsertim quum infinitivi aoristi et futuri non raro eodem loco ita sibi opponantur, ut ille præteritum, hic futurum respiciat tempus. Neque enim hic duplex aoristi infinitivi usus comparari potest aut cum duplici usu aoristi infinitivi post verbum *δοκεῖν*: *ἐδόκει ποιῆσαι*, id quod et *fecisse videbatur* et *facere placebat* significare potest, propterea quod *δοκεῖν* uno loco verbum sentiendi est, altero verbum voluntatis, aut cum aoristi optativi duplici significatione in interrogatione obliqua: *οὐκ ᾔδει τί ποιήσειεν, nesciebat, quid fecisset* et *nesciebat, quid faceret*, quum verbum utriusque interrogationis rectæ *τί ἐποίησα* (l. *-ας*); et *τί ποιήσω*; (aor. conj.) in optativum transire possit. Nam *φημὶ ποιῆσαι = dico me fecisse* ad *ἐποίησα* orationis rectæ respondet; contra *φημὶ ποιῆσαι = dico me facturum esse* nihil habet, ad quod in recta oratione respondeat, quum ad futuri indicati-

vum (ποιήσω) futuri infinitivus (ποιήσειν), ad aoristi optativum cum ἄν (ποιήσαιμι ἄν) aoristi infinitivus cum ἄν (ποιῆσαι ἄν) referatur. Et quum in recta oratione futurum tempus exprimi non possit nisi aut magis certo et fidenter indicativo futuri aut dubitantius et modestius aoristi (l. præsentis) optativo cum ἄν juncto, satis sane erit in obliqua oratione duobus modis idem exprimere potuisse, præsertim quum in obliqua oratione, ut supra vidimus, duas verbi orationis rectæ formas eadem verbi forma indicare non raro necesse sit. Quod autem docet Krüger [1] infinitivum sine ἄν tum potissimum usurpari, ubi aliquid certo eventurum esse significetur, equidem haud scio an nihil ad hanc fiduciam indicandam plus valeat quam ipsum tempus futurum, quod eam tantum ob causam in aoristi optativum (vel infinitivum) cum ἄν junctum mutatur, ut res quasi modestius et dubitantius exprimatur. Præterea si post quodlibet dicendi et sentiendi verbum aoristi infinitivus de futuro tempore usurpari posset, quo modo intelligere possemus, quando præteritum, quando futurum respiceretur tempus? Quæ quum ita sint, aoristi infinitivi, qui post verba φημί, οἴομαι similia occurrunt, numquam, opinor, nisi summa necessitate cogente, de futuro tempore interpretandi sunt, neque causa esse videtur, cur illis locis, ubi futurum levi mutatione restitui possit, contextum librorum mutare dubitemus.

1. In locis Homericis tractandis primos illos afferemus, ubi aut accusativus quidam subjecti loco ad infinitivum appositus est, aut saltem aliud infinitivi subjectum est, aliud verbi finiti.

a) Et primum quidem nonnulli loci afferantur, ubi aoristi infinitivum de futuro usurpari non recte existimaverint viri docti aut sine causa in futurum mutare voluerint.

β 171 *καὶ γὰρ κείνῳ φημὶ τελευτηθῆναι ἅπαντα / ὥς οἱ ἐμυθεόμην* editores, quos adii, *τελευτηθῆναι* de præterito tempore recte interpretantur, sed grammatici de aoristo futurum tempus significante aut de omissa particula ἄν vulgo mentionem faciunt [2]. Neque tamen dubitari posse videtur, quin aoristus

---

[1] Gr. Gr. § 53: 6. Anm. 9. Contra Löfstedtius (Gr. Gr. § 77 V. not. 4) docet Homerum *de iis, quæ modestius affirmantur*, ut in recta oratione optativum part. ἄν modo posita modo omissa usurpat, ita in obliqua oratione infinitivum vel cum ἄν vel sine ἄν adhibere. Sed omnino illis locis, ubi de rebus futuris aor. inf. apud Homerum usurpatus videtur, res quædam potius certo eventura dicitur quam fieri posse modeste affirmatur, neque credibile est Homerum, qui uno tantum loco (I 684) aor. infinitivum cum ἄν optativo cum ἄν respondentem usurpaverit, aor. inf. sine ἄν, ita ut optativo illi Homerico potentiali sine ἄν responderet, sæpius adhibuisse.

[2] Cfr. Krüg. Dial. § 53: 6. Anm. 4. Kühner § 389. Anm. 8. Löfstedt § 77. V. not. 4.

hoc loco de præterito tempore usurpatus sit [1]. Animadvertendum enim est vatem divino furore afflatum de rebus futuris, quasi jam fierent aut factæ essent, per totum hunc locum mentionem facere, ut v. 165 occurrit *ἐγγὺς ἐὼν τοῖσδεσσι φόνον καὶ κῆρα φυτεύει* et v. 176 *τὰ δὲ δὴ νῦν πάντα τελεῖται*, quamquam sane eo die, quo vates hæc locutus est, Ulixes etiamtunc apud Calypsonem versabatur et demum post XXXV diem domum rediit. Si de rebus futuris ageretur, nihil impedivisset, quominus Homerus *τελευτήσεσθαι* scriberet. Ceterum observandum est non dici *ἅπαντα ἃ* sed *ὥς*: *nam dico ei quoque omnia ita cessisse, ut prædixerim*, major autem pars eorum, quæ prædixerat, jam ad finem perducta erat.

P 28 legitur *οὐδέ ἕ φημι πόδεσσί γε οἷσι κιόντα | εὐφρῆναι ἄλοχόν τε φίλην κεδνούς τε τοκῆας*, quem locum, quantum vidi, editores silentio præterierunt. Hentzius tamen [2] *εὐφρῆναι* de tempore futuro interpretari videtur. Quum autem Hyperenor, Panthoi filius, quem *Ξ* 517—20 a Menelao interfici narratum est, jam e pugna excesserit et v. 25 præteritum *ἧς ἥβης ἀπόνητο* occurrat, nulla causa esse videtur, cur *εὐφρῆναι* de tempore futuro (pro *εὐφρανέειν*, quod æque bene adhiberi poterat, cfr. *E* 688) usurpatum existimemus.

σ 342 legitur *φὰν γάρ μιν ἀληθέα μυθήσασθαι.* Aoristi infinitivum hoc quoque loco de futuro interpretatos esse nonnullos testis est Madvigius [3]. Interpretatio autem Fæsii: *er würde aus der Drohung Ernst machen* ex his verbis elici poterit, etiamsi *μυθήσασθαι* de præterito interpretabimur: *credebant eum vere* (l. *serio*) *locutum esse.*

ϑ 564—66 legitur *πατρὸς ἐγὼν εἰπόντος ἄκουσα Ναυσιθόου ὃς ἔφασκε Ποσειδάων᾽ ἀγάσασθαι | ἡμῖν, οὕνεκα πομποὶ ἀπήμονές εἰμεν ἁπάντων* et *ν* 172—74 *ὢ πόποι, ἦ μάλα δή με παλαίφατα θέσφαθ᾽ ἱκάνει | πατρὸς ἐμοῦ* sequentibus prorsus iisdem verbis, quæ supra allata sunt. Ameisius hoc loco recte, ut mihi videtur, *ἀγάσασθαι* de præterito interpretatur [4]. Contra *Cobetus* et *Naber* [5] *ἀγάσασθαι* in *ἀγάσεσθαι* mutandum censent eam, credo, ob rem, quod *ϑ* 569 (= *ν* 177) futuri infinitivi *ῥαισέμεναι* et *ἀμφικαλύψειν* de tempore futuro leguntur. Quum

---

[1] Cfr. Madvigii Adv. Crit. I. p. 169. Bemerkungen p. 42.

[2] Commentar ad *Γ* 28.

[3] Græsk Ordf., Fortale p. VII.

[4] Cfr. Commentar *ϑ* 564 *wäre in Eifersucht gerathen* und in Folge davon für die Zukunft der drohende Ausspruch.

[5] Cob. Misc. Crit. p. 329 tantum de *ν* 173; Naber Quæst. Hom. p. 103 de utroque loco. Ad *ν* 173 adscriptum est *διὰ τοῦ Σ ἀγάσασθαι* verba Didymi, quæ Porsonus in *διὰ τοῦ E ἀγάσεσθαι* mutavit.

tamen ea res, cujus ira incensus esse aut fore Neptunus dicitur, **οὕνεκα πομποὶ ἀπήμονές εἰμεν ἁπάντων** ad præsens atque haud dubie ad præteritum quoque tempus pertineat — nam e vocabulo *ἁπάντων* satis apparet his locis non tantum de ira Neptuni ob reditum Ulixis agi — nihil impedire videtur, quominus statuamus Neptunum jam tum, quum hæc loquebatur pater Alcinoi, in Phæaces incitatum fuisse, quamquam posteriore demum ætate iram in eos effudit; **ϑ** 567—569 (= *ν* 175—77) *φῆ ποτὲ*[1] *Φαιήκων ἀνδρῶν εὐεργέα νῆα / ἐκ πομπῆς ἀνιοῦσαν ἐν ἠεροειδέι πόντῳ / ῥαισέμεναι μέγα δ' ἥμιν ὄρος πόλει ἀμφικαλύψειν.*

b) Venio nunc ad locum, ubi verbum illud, ad quod refertur infinitivus aoristi, utrum existimandi (putandi) an jubendi (censendi) haberet significationem, dubitaverunt viri docti: *Γ* 98 *φρονέω δὲ διακρινϑήμεναι ἤδη / Ἀργείους καὶ Τρῶας ἐπεὶ μάλα πολλὰ πέποσϑε / εἵνεκ' ἐμῆς ἔριδος καὶ Ἀλεξάνδρου ἕνεκ' ἀρχῆς.* Editores et lexicographi[2] verbo *φρονεῖν* hoc loco significationem existimandi l. opinandi addentes aoristi infinitivum statuunt usurpatum esse de eo, quod tam certo exspectetur, ut jam pæne factum existimari possit. Madvigius contra statuit verbum *φρονεῖν* jubendi vel censendi[3] significationem habere, et quidem optimo jure, si consideraveris vv. 21—94 narrari Alexandrum, cui Hector timidum et ignavum animum objecerat, concedentem se jure ac merito reprehensum esse promisisse se pugna singulari cum Menelao congressurum; quo promisso lætum Hectorem ante aciem Trojanorum processisse atque promissum Alexandri Menelao Græcisque proposuisse. Tum Menelaus petit, ut se, ad quem

---

[1] Ameis. Comment. ad h. l.: *ποτέ* orthotoniert, weil es den von *φῆ* abhängigen Satz beginnt. Si *ἀγάσασϑαι* quoque ad futurum tempus pertineret, melius ad antecedens *ἀγάσεσϑαι* quam ad subsequens *ῥαισέμεναί* relata esset particula *ποτέ*.

[2] Hentze: *ich halte dafür, dass friedlich aus einander gehen.* Der Infinitiv des Aorists wie 28. La Roche: Der Infinitiv Aor. bezeichnet das sicher erwartete Eintreten der Handlung. Seileri (Capellii) Wörterb. *φρονέω* 2 b. *denken, eine Meinung haben, meinen* — — — *φρονέω διακρινϑήμεναι κ. τ. λ.* ich denke dass nunmehr (friedlich) auseinander gehen die A. u. Tr. — Ebeling: hunc locum refert ad *φρονέω* 4 b. *cogito, opinor.*

[3] Madv. Adv. Crit. I. p. 169 hunc locum ad eos refert, ubi gravi interpretandi errore aoristum de futuro acceperint editores. 'A pluribus', inquit, 'intellectum est Menelaum non prædicere, separatum iri Achæos et Trojanos, sed jubere et censere, in qua sententia rectissime dicitur *φρονέω διακρινϑήμεναι*'. — Etiamsi I 608 ad significationem 2 b. in lexico Capellii referas *φρονέω τετιμῆσϑαι Διὸς αἴσῃ ich denke geehrt zu sein,* schon Ehre genug zu haben, necesse videtur significationem 2 c. *gedenken, gesonnen sein, streben, wollen, wünschen* statuere ad *P* 286 *φρόνεον δὲ μάλιστα / ἄστυ πότι σφέτερον ἐρύειν καὶ κῦδος ἀρέσϑαι.* Cfr. Ebeling *φρονέω* 4 a. *mihi in animo est, propositum est,* quamquam etiam hunc locum refert ad 4 b. *cogito, opinor.*

major pars injuriæ venerit, audiant Græci et Trojani; 'censeo' inquit 'separari jam Græcos et Trojanos, quum satis multa passi sitis propter meas cum Alexandro inimicitias'. Hoc autem *censeo separari* quis non videt idem esse quod: *condicionem accipio;* quum enim Hector condicionem Alexandri proposuisset, nihil aliud exspectabatur, nisi ut diceret Menelaus, utrum condicionem acciperet an repudiaret. Sin autem hoc loco in verbo *φρονεῖν* inesset putandi vel opinandi significatio, necesse fuisset addi aliquod vocabulum *ἡδέως, ἀσμένως, ἀσπασίως: credo vos libenter separatum iri* optime dicere potuit Menelaus; *opinor vos jam separatum iri* nullo vocabulo adjecto vix dicere poterat is, cujus in ipsius arbitrio res posita erat.

Hic etiam commemorandus est locus ille *N* 666—68, ubi de Euchenore, filio Polyidi, qui *εὖ εἰδὼς κῆρ' ὀλοήν* in bellum se contulit, hæc dicuntur: *πολλάκι γάρ οἱ ἔειπε γέρων ἀγαθὸς Πολύιδος / νούσῳ ὑπ' ἀργαλέῃ φθίσθαι οἷς ἐν μεγάροισιν / ἢ μετ' Ἀχαιῶν νηυσὶν ὑπὸ Τρώεσσι δαμῆναι*, quo loco nullus quidem accusativus occurrit sed subjectum infinitivorum dativo illo *οἱ* indicatur. Hoc uno loco aoristi infinitivi de rebus futuris usus forsitan vel maxime probari cuipiam videatur; nam et verbum illud *ἔειπε* verum videtur esse dicendi verbum neque jubendi habere significationem et infinitivi illi *φθίσθαι, δαμῆναι* futurum tempus aperte indicant neque facile in futura mutari possunt. Madvigius [1] hunc aoristi infinitivi usum inde explicandum censet, quod verbum vaticinandi *χρῆν*, quod et significationem *præcipiendi, quid fiat*, et *prædicendi, quid futurum sit*, in prædictionibus deorum et oraculorum habeat, nonnumquam etiam in prædictionibus, quid futurum sit, cum aoristi infinitivo conjungatur, propterea quod significet *fato constituere, ut aliquid fiat.* Hunc aoristi infinitivi usum etiam post substantiva *χρησμός* et *λόγιον* occurrere docet atque saltem apud poetas ad alia quoque verba traductum esse. Ac quum nonnumquam factum sit, ut oraculum interrogatum, quid futurum esset aut quando, interroganti responderet, ut hoc vel illud faceret — velut Herodot. I: 55 Pythia narratur Croeso interroganti, *num diuturnum suum regnum futurum esset* (*εἴ οἱ πολυχρόνιος ἔσται ἡ μουναρχίη*) respondisse, *ut*, quum mulus rex Medorum factus esset, *fugeret neve maneret* (*ἀλλ' ὅταν ἡμίονος βασιλεὺς Μήδοισι γένηται / καὶ τότε, Λυδὲ ποδαβρέ, πολυψήφιδα παρ' Ἕρμον / φεύγειν μηδὲ μένειν μηδ' αἰδεῖσθαι κακὸς εἶναι*) — fortasse etiam hoc loco cogitari potest Polyidum vatem filio interroganti respondisse, ut eligeret, utrum

[1] Adv. Crit. I pp. 176—77; cfr. commentationem nostram: De Futuro Herodoteo p. 34 (in Act. Univ. Lund. Tom. XIV).

morbo mori an in proelio cadere mallet. Certe in verbo *εἶπε* hoc loco adeo inest futuri temporis significatio, ut vel idem esse quod *ἔφη θέσφατον εἶναι*[1] existimari possit vel infinitivi illi *φθίσθαι, δαμῆναι* in vim substantivorum (= *θάνατος, ὄλεθρος*) pæne abisse putari possint.

c) Jam eos locos afferamus, ubi post vera dicendi aut sentiendi verba accusativus cum infinitivo aoristi in libris manuscriptis vulgo legitur quique hanc ob causam emendandi nobis videntur. Et primum quidem commemorandum est *χ* 35 ubi in omnibus editionibus legitur *ὦ κύνες οὔ μ' ἔτ' ἐφάσκεθ' ὑπότροπον οἴκαδ' ἱκέσθαι*, sed in libris nonnullis est *οἴκαδε νεῖσθαι.* et satis apparet explicationem *ἐλθεῖν ἐπανήξειν*, quæ in scholiis quibusdam occurrit, non ad *ἱκέσθαι*, verbum notissimum, sed ad *νεῖσθαι*, quod pro *νέεσθαι* raro usurpatur, pertinere. Quam ob rem Madvigius lectionem *οἴκαδε νεῖσθαι* accipiendam censet et haud dubie jure; nam et facillima mutatio est nec difficile explicatu, quum tot versus in *οἴκαδ' ἱκέσθαι* exeant[2], unde orta sit prava illa lectio, præsertim quum forma illa *νεῖσθαι* satis rara sit (occurrit tamen *ο* 88 *βούλομαι ἤδη νεῖσθαι*). Naber[3] et Nauckius[4] pro *οἴκαδ' ἱκέσθαι* legendum censent *ἀπονέεσθαι*, quæ mutatio et violentior est neque fundamento librorum nititur.

Etiam his duobus locis futurum legendum est: *β* 198 *οὐ γὰρ πρὶν παύσεσθαι ὀίομαι υἷας Ἀχαιῶν / μνηστύος ἀργαλέης* et *E* 288 *οὐ μὲν σφῶΐ γ' ὀίω / πρίν γ' ἀποπαύσεσθαι πρίν γ' ἢ ἕτερόν γε πεσόντα / αἵματος ἆσαι Ἄρηα*, quamquam illo loco vix unus liber futurum habet, hoc loco perpauci. Hentzius *β* 198 *παύσεσθαι* legit (Ed. 1879), *E* 288 *ἀποπαύσασθαι* (propter sequens *ἆσαι*). Ceteri omnes, quos adii, utroque loco futurum legunt.

2. Ex illis locis, ubi solus infinitivus aoristi occurrit, hi commemorandi sunt:

a) Primum manifestum est aoristi infinitivum de præterito interpretandum esse, quamquam a nonnullis de futuro acceptus est, *δ* 504 *φῆ δ' ἀέκητι θεῶν φυγέειν μέγα λαῖτμα θαλάσσης*; nam apparet Ajacem filium Oilei, quum naufragus a Neptuno servatus esset, dixisse *se* immensum æquor *effugisse* non: effugiturum esse.

---

[1] *θέσφατόν ἐστι* cum aor. inf. occurrit *δ* 561—2 *σοὶ δ' οὐ θέσφατόν ἐστι, διοτρεφὲς ὦ Μενέλαε, Ἄργει ἐν ἱπποβότῳ θανέειν καὶ πότμον ἐπισπεῖν*, *κ* 473 *εἴ τοι θέσφατόν ἐστι σαωθῆναι καὶ ἱκέσθαι οἶκον ἐς ὑψόροφον.*

[2] Cfr. *φ* 211 *εὐξαμένου ἐμὲ αὖτις ὑπότροπον οἴκαδ' ἱκέσθαι.*

[3] l. l. p. 105.

[4] Mélanges Gréco-Rom. IV p. 97 (vide Hentzii Anhang ad *χ* 35 et Nauckii editionem Homericam).

ι 496 comites Ulixis, quum navis magno illo saxo Cyclopis adversus insulam reducta esset, Ulixi, qui iterum Cyclopem allocutus erat, dicunt *καὶ δὴ φάμεν αὐτόθ' ὀλέσθαι*, ita enim in omnibus libris legitur. Madvigius tamen censet legendum esse *ὀλεῖσθαι*, quæ quidem lecto etiam a Nauckio accepta est atque præterea et a Cobeto et a Nabero commendatur [1]. At quamquam hæc emendatio facillima est optimamque reddit sententiam, tamen haud scio, an hoc loco salva codicum auctoritate legi possit *ὀλέσθαι*; nam quum satis constet aoristum *ὠλόμην* [2] eodem modo, quo *ὄλωλα*, usurpari, ut significet: *perii, actum est de me*, hunc locum interpretari posse videmur: credebamus *de nobis actum esse*.

b) *Χ* 235 *νῦν δ' ἔτι καὶ μᾶλλον νοέω φρεσὶ τιμήσασθαι, | ὃς ἔτλης ἐμεῦ εἵνεκ' — — τείχεος ἐξελθεῖν* La Rochius recte interpretatur *'gedenke in Ehren zu halten'*, quamquam hæc interpretatio non convenit cum ejus interpretatione loci *Γ* 98, ad quam h. l. legentes delegat. Nauckius *τιμήσασθαι* in *τιμήσεσθαι* mutavit; quæ mutatio Cobeto [3] quoque et Nabero [4] placuit; neque vero necessaria videtur, quum *νοέω* apud Homerum numquam verum sentiendi verbum sit sed semper quandam voluntatis (consilii, propositi) significationem habeat [5]. Neque tamen negaverim futuri infinitivum post verbum *νοέω* ferri posse, quum verba quædam, a quorum significatione *νοέω* non multum abest, ut *μέλλω* persæpe, *μέμαα* et *μέμονα* non raro apud Homerum futuri infinitivo utantur et post *ἐν νόῳ ἔχω*, *νοέομαι*, *διανοέομαι*, *ἐπινοέω* apud Herodotum [6] futuri infinitivus nonnumquam occurrat.

c) Restant tamen tres loci, quibus omnibus Nauckius futurum in contextum recepit, quamquam aoristus fere solus in libris occurrit. Etiam Madvigius, Co-

---

[1] Madv. Adv. Crit. I p. 170; Bemerkungen p. 42. Cobet. l. l. p. 329. Naber l. l. p. 103.

[2] I 412—15 *εἰ μέν κ' αὖθι μένων Τρώων πόλιν ἀμφιμάχωμαι | ὤλετο μέν μοι νόστος, ἀτὰρ κλέος ἄφθιτον ἔσται· | εἰ δέ κεν οἴκαδ' ἵκωμι φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν | ωλετό μοι κλέος ἐσθλόν, ἐπὶ δηρὸν δέ μοι αἰών | ἔσσεται.* *Ν* 772 *νῦν ὤλετο πᾶσα κατ' ἄκρης | Ἴλιος αἰπεινή.* *α* 168 *τοῦ δ' ὤλετο νόστιμον ἦμαρ.*

[3] Cobetus l. l. p. 329: 'Frustra', inquit, 'comparant *Ω* 560 *νοέω δὲ καὶ αὐτὸς | Ἕκτορά τοι λῦσαι*, nempe *λῦσαι statim*, *τιμήσεσθαι* contra *posthac τοῦ λοιποῦ: καὶ πρότερον*, inquit, *σὲ ἐτίμησα, νῦν δ' ἔτι μᾶλλον τοῦτο ποιήσειν διανοοῦμαι*'.

[4] Cfr. l. l. p. 105.

[5] Cfr. lexicon Capellii *νοέω* mit inf.: *gedenken, im sinne haben*. Cum infinitivo aoristi conjunctum est *Ε* 665 *ἐξερύσαι*, *Κ* 551 *ἑλέσθαι*, *Ω* 560 *λῦσαι*, *λ* 63 *καταβῆναι*, *π* 410 *φανῆναι*.

[6] Cfr. comment. nostrma: De Futuro Herodoteo pp. 48, 49 (in Act. Univ. Lund., Tom. XIV).

betus, Naber [1] futurum legendum censent. Sunt autem hi: *Γ* 28 *φάτο γὰρ τίσεσθαι ἀλείτην*, *Γ* 366 *ἦ τ' ἐφάμην τίσεσθαι Ἀλέξανδρον κακότητος*, *υ* 121 *φάτο γὰρ τίσεσθαι ἀλείτας.* Aoristum quum alii defendunt, tum Hentzius et Capellius, qui etiam *ω* 470 *φῆ δ' ὅγε τίσασθαι παιδὸς φόνον*, quo loco libri futurum habent, legendum censet. Capellius [2] aoristos ea maxime re commendari existimat, quod tanta est codicum consensio, ut difficile videatur statuere, hoc aut negligentia aut, quum talibus locis futuri usus legitimus sit, consulto factum esse. Contra quæ afferri forsitan possit inter illos locos, quos ex ceteris scriptoribus hanc quæstionem pertractans attulit Madvigius, esse complures, ubi quamquam codices mira consensione aoristum tueantur, ne acerrimi quidem aoristi defensores librorum lectionem retinere ausi sint, atque in libris manuscriptis nonnumquam infinitivos aoristorum in *-ασθαι* occurrere, qui aut omnino non in lingua Græca occurrant (ut *ἐλεύσασθαι*), aut in alia significatione (ut aliud est *τρέψασθαι*, aliud *τραπῆναι*), ita ut ne nimium libris tribuamus, etiamsi concedatur Cobetum [3] in codicum auctoritate contemnenda nimis longe progressum esse. Præterea Capellius existimat his locis aoristum sine ullo temporis significatione id indicare, quod ut fiat certo exspectetur. Eadem fere, quæ Capellius, affert Hentzius [4] laudans præceptum illud Krügerianum [5] aoristi infinitivum posse *'zeit- und dauerlos überhaupt das Eintreten einer Handlung, selbst einer zukünftigen, bezeichnen;* ohne *ἄν* besonders da wo *Zuversicht* anzudeuten

---

[1] Madv. Adv. Crit. I p. 169; Bemerkungen p. 42 not. Cob. l. l. p. 328 (de *Γ* 28, 366); Nab. l. l. p. 101, 102.

[2] Philologus XXVII p. 119: Wenn man aber auch zugibt, dass die endungen *-εσθαι* und *-ασθαι* durch die nachlässigkeit der abschreiber oft verwechselt sind, so kann doch schwerlich hier der inf. aoristi, der an drei stellen besser bezeugt ist, an der vierten als v. l. auftritt, wenn von anfang als lesart nicht vorhanden, an allen vier stellen durch nachlässigkeit in den text gekommen sein. Noch weniger durch absichtlicher correctur, denn das futurum ist in diesem falle dem späteren sprachgebrauche das natürlichere. Deshalb ist mir doch wahrscheinlich, dass an allen vier stellen der inf. aoristi die richtige lesart ist.

[3] l. l. p. 328: Nostri igitur ubique est arbitrii ex cujusque loci natura constituere, utrum *-Εσθαι* an *-Ασθαι* scribi oporteat, et librorum scripturas omnes in ea quidem re licet contemnere.

[4] Anhang ad *Γ* 28: Da die Dichtung schon von Vers 15 den Zweikampf einleitet, so ist hier der Gedenke an die *Zukunft* veniger passend als *die Hervorhebung der That als einer rasch eintretenden*, wie dieselbe Thatsache in gleicher Verbindung 366 (wo auch der Venetus *τίσασθαι* bietet) und im Gebete 351 hervorgehoben wird. Sed post *δός* futuri infinitivus ferri nequit *Γ* 351 *Ζεῦ ἄνα, δὸς τίσασθαι, ὅ με πρότερος κάκ' ἔοργε.*

[5] § 53: 6 Anm. 9. Dial. § 53: 6 Anm. 4.

ist'. Observandum tamen est Krügerum illo loco non inter ceteros aoristi infinitivos et eos, qui post dicendi et sentiendi verba occurrunt, distinxisse atque ex illis locis Homericis, quos affert, duos (β 171, δ 504) aperte aoristo de præterito uti, tertio (γ 320) infinitivum ad ἔλπεσθαι referri, ita ut facile de quarto Γ 28, ubi complures editores futurum legunt, dubitare possimus. Præterea quanti æstimandum sit præceptum illud Krügeri de aoristi infinitivo certum temporis momentum non significante, satis docuit Madvigius. — Ac certe, quum aoristi infinitivus post hoc ipsum verbum φημὶ in eadem prorsus sentiendi significatione tam sæpe de tempore præterito occurrat, futuri autem infinitivus etiam sæpius de futuro, non dubitare debemus mutata una litera α in ε his locis rectam et bonam sententiam restituere.

B.

Reliquum est, ut de iis infinitivis mentionem faciamus, quæ post verba *sperandi* (exspectandi), *promittendi*, *minandi*, *jurandi* occurrunt, quæ verba quamquam ut apud ceteros scriptores Græcos ita apud Homerum de rebus futuris longe sæpissime cum futuri infinitivo conjunguntur, tamen nonnumquam aut præsentis aut aoristi infinitivo de futuro utuntur, illis quidem potissimum locis, ubi solus infinitivus occurrit. Atque hoc loco commemorandum est, quamquam satis cognitum sit in lingua Græca post sentiendi et dicendi verba subjectum infinitivi, quod idem sit atque verbi finiti, longe sæpissime omitti, tamen non post omnia hæc verba, de quibus nunc agimus, necesse esse subjectum quoddam infinitivi omissum existimare aut omnes infinitivos ad indicativos orationis rectæ revocare. Nam in Latina quoque lingua, ubi semper fere [1] post vera verba sentiendi et dicendi accusativus ille subjecti munere fungens exponitur, post ea verba, quæ accusativo cum futuri infinitivo vulgo utuntur, nonnumquam solus præsentis infinitivus occurrit, ut post *polliceor:* Cæs. B. G. IV. 21. 5 *Legati veniunt, qui polliceantur obsides dare atque imperio populi Romani obtemperare* et VI. 9. 7 *si amplius obsidum vellet, dare pollicentur.* Et si præsentis infinitivus verborum, quæ non in præsenti habent futuri temporis significationem, in lingua Græca post hæc verba occurrere potest, non dubium esse videtur, quin aoristi quoque

---

[1] Rarissimum est id quod occurrit Cæs. B. G. II. 32. 3 *Re nuntiata ad suos, quæ imperarentur, facere dixerunt.*

infinitivus usurpari possit, ita ut, si licet dicere **ὑπισχνοῦμαι ποιεῖν**, etiam **ὑπισχνοῦμαι ποιῆσαι** dicere liceat [1], quum præsertim hæc *promittendi* verba numquam de rebus præteritis usurpentur et præterea ad verba voluntatis non raro prope accedant. *Sperandi* quoque vocabula longe sæpissime futurum tempus respiciunt, quamquam non ita raro fit, vel ut abjecta sperandi significatione ad significationem existimandi transeant, vel ut retenta spei significatione cum infinitivis aut præsentis aut præteriti temporis conjungantur, quum de iis rebus, quæ aut nunc fiunt aut jam factæ sunt, si, quomodo se habeant aut quorsus evaserint, nescimus, spem habere possimus. *Jurandi* verba et locutiones quod ad hæc sperandi et promittendi verba retulimus, mirum forsitan cuipiam videatur, quum satis constet, ut nos, ita Græcos inde a temporibus Homeri præteritas non minus quam futuras res jurejurando confirmare solitos esse. At tamen negari non potest certum quoddam discrimen esse inter significationes illas *jurejurando confirmare aliquid factum esse aut aliquo modo se habere* et *jurejurando se obstringere aliquid se facturum esse,* atque plurimis locis ex iis, quæ antecedant et subsequantur, satis apparere, utrum ad præteritum an ad futurum pertineat tempus id, quod jurejurando confirmatur [2]. Præterea quum de rebus futuris usurpentur jurandi verba, ad promittendi verba tam prope accedunt, ut una cum iis commemoranda esse videantur. Ceterum illud observandum est eos locos Homericos, quibus aoristi infinitivus de futuro tempore post hæc verba occurrat, ut pauciores sint quam ii, ubi post *φημί, οἴομαι* similia hoc factum sit, ita ad fidem esse certiores. In iis, quæ sequuntur, omnes omnium temporum infinitivos, qui post omnia hæc Homerica verba et locutiones occurrunt, allaturi sumus.

1. Vocabula *sperandi* apud Homerum sunt verbum *ἔολπα* (*ἐώλπειν, ἔλπομαι, ἐπιέλπομαι*) et substantivum *ἐλπωρή*:

a) Post formas *ἔολπα, ἐώλπειν* semper futuri infinitivus occurrit aut infinitivus, qui futuri significatione utitur, *νέεσθαι, κειέμεν*, sive accusativus cum in-

---

[1] Madvigio assentiri non possumus dicenti (Bemerkungen p. 37): „Den gegenstand eines versprechens oder einer übereinkunft nicht bestimmt aus der gegenwart in die zukunft heraustreten zu lassen ist etwas ganz anderes als eine form zu gebrauchen, die dem sprachgebrauche zufolge die entgegengesetzte zeit bezeichnet.

[2] Mirum sane est L. Meyerum (Griech. Aor. p. 80) aoristi infinitivum I 133 *ἐπὶ δὲ μέγαν ὅρκον ὀμοῦμαι / μή ποτε τῆς εὐνῆς ἐπιβήμεναι ἠδὲ μιγῆναι,* (= I 274, T 176) de futuro interpretari 'ich werde schwören nie das Lager zu besteigen'. Certe si hoc jusjurandum ad Achillem movendum et placandum aliquid valiturum esset, oportuit Agamemnonem ad tempus præteritum jusjurandum referre.

finitivo sive solus infinitivus usurpatur. Solus infinitivus, ut exspectari potest, tum quoque sequitur, quum dicitur *θυμὸς ἐώλπει* l. *ἤλπετο* pro *θυμῷ ἐώλπει* l. *ἤλπετό τις*[1]. Accusativus cum infinitivo occurrit *T* 329, 30 *πρὶν μὲν γάρ μοι θυμὸς ἐνὶ στήθεσσιν ἐώλπει | οἶον ἐμὲ φθίσεσθαι — — — σὲ δέ τε Φθίηνδε νέεσθαι* (*ἐμέ*, quod *σέ* opponitur, expositum est), *Y* 186 *ῥέξειν*, *X* 217 *οἴσεσθαι*. — *β* 275 *τελευτήσειν*, *γ* 375 *ἔσεσθαι*, *ε* 379 *ὀνόσσεσθαι*, *ϑ* 315 *οὐ μέν σφεας ἔτ' ἔολπα μίνυνθά γε κειέμεν οὕτως*, *υ* 329 *νοστήσειν* (nonnulli libri *νοστῆσαι*). Solus infinitivus *Φ* 584 *ἦ δή που μάλ' ἔολπας ἐνὶ φρεσί, φαίδιμ' Ἀχιλλεῦ, | ἤματι τῷδε πόλιν πέρσειν* (unus liber *πέρσαι*), *φ* 97 ubi sine dubio legendum est *τῷ δ' ἄρα θυμὸς ἐνὶ στήθεσσιν ἐώλπειν | νευρὴν ἐντανύειν διοϊστεύσειν τε σίδηρον*[2], *ω* 314 *μίξεσθαι — διδώσειν*.

b. *α*) Etiam *ἔλπομαι* et *ἐπιέλπομαι* longe sæpissime cum infinitivo futuri conjunguntur. Post *ἔλπομαι* occurrit accusativus cum infinitivo *H* 353, qui versus spurius existimatur, *N* 9 *οὐ γὰρ ὅ γ' ἀθανάτων τιν' ἐέλπετο ὃν κατὰ θυμόν | ἐλθόντ' ἢ Τρώεσσι ἀρηξέμεν ἢ Δαναοῖσιν* (unus liber *ἀρηγέμεν*), *P* 239 *νοστησέμεν*, 406 *ἀπονοστήσειν*, *η* 293 *ὡς οὐκ ἂν ἔλποιο νεώτερον ἀντιάσαντα | ἐρξέμεν*[3]. Omissum est subjectum infinitivi, quamquam aliud est atque verbi finiti, *Ξ* 68 *ᾗ* (= *τάφρῳ*) *ἔπι πόλλ' ἔπαθον Δαναοί, ἔλποντο δὲ θυμῷ | ἄῤῥηκτον νηῶν τε καὶ αὐτῶν εἶλαρ ἔσεσθαι* sc. *αὐτήν*, ut sæpe fit in lingua Græca, *P* 407 *οὐδὲ τὸ ἔλπετο πάμπαν | ἐκπέρσειν πτολίεθρον ἄνευ ἕθεν* Achilles non sperabat l. putabat Patroclum sine ipsius opera urbem expugnaturum esse, *φ* 316 *ἔλπεαι αἴ χ' ὁ ξεῖνος Ὀδυσσῆος — τόξον ἐντανύσῃ — οἴκαδέ μ' ἄξεσθαι καὶ ἑὴν θήσεσθαι ἄκοιτιν*, ubi subjectum infinitivi in enuntiatione hypothetica subjecti munere fungitur. Solus infinitivus in Iliade sæpe occurrit *Θ* 197 *ἐελποίμην κεν Ἀχαιοὺς | αὐτονυχὶ νηῶν ἐπιβησέμεν ὠκειάων*, *Θ* 527 *εὔχομαι ἐλπόμενος Διί τ' ἄλλοισίν τε θεοῖσιν | ἐξελάαν ἐνθένδε κύνας*, I 371 *ἐξαπατήσειν*, *M* 262 *ῥήξειν*, *N* 42 *αἱρήσειν — κτενέειν*, 813 *ἐξαλαπάξειν*, *Ξ* 422 *ἐρύεσθαι* fut. (unus

[1] Ad *ἔολπα* *T* 328, *φ* 97, *ω* 314. Ad *ἔλπομαι* *N* 813, *O* 702, *P* 235, 395, 496 = *ἔλπετο θυμῷ* *P* 404, 603, *ἐέλπετο ὃν κατὰ θυμόν* *N* 9.

[2] Ita La Rochius h. l. et *φ* 127 post *ἔλπομαι* legendum censet, Homerische Untersuchungen p. 296, 269. Nauckius legit *ἐντανύσειν — διοϊστεύσειν*, Ameisius *ἐντανύειν — διοϊστεύειν*, quamquam (Anh. *φ* 174) *τανύειν* futurum esse posse concedit. Neque vero dubitari potest, quin præsens illud *διοϊστεύειν*, quod in uno cod. v. 127 occurrit, prave intellecto futuro *ἐντανύειν* sine *σ* formato exortum sit.

[3] Nemo, opinor, Ameisio assentietur statuenti in commentario ad h. l. *ἐρξέμεν* esse: "epischer Aorist (wie *ἀξέμεν*), da man ohne den Begriff der Hoffnung *ὡς οὐκ ἂν ἔρξειε νεώτερος* sagen würde.

liber *ἐρύσασθαι*), **O** 505 *ἵξεσθαι*, 702 *ἐνιπρήσειν* — *κτενέειν*, **Π** 609 *τεύξεσθαι*, **P** 235 *ἐρύειν*, 396 *ἐρύειν*, 488 *αἱρησέμεν*, 496 *κτενέειν* — *ἐλάαν*, 604 *μαχήσεσθαι*, **Σ** 260 *αἱρησέμεν*, **Υ** 180 *ἀνάξειν*, 201 *δειδίξεσθαι*, 432 *δειδίξεσθαι* (unus liber *δειδίξασθαι*), **Φ** 605 *κιχήσεσθαι*. Post *ἐπιέλπομαι* futuri infinitivus occurrit **A** 546 *μὴ δὴ πάντας ἐμοὺς ἐπιέλπεο μύθους* / *εἰδήσειν*, **Ω** 492 *ὄψεσθαι*, *φ* 127 *ἐντανύειν* — *διοϊστεύσειν* [1].

β) Accusativus cum infinitivo *præsentis* post *ἔλπομαι* occurrit I 41 *οὕτω που μάλα ἔλπεαι υἷας Ἀχαιῶν* / *ἀπτολέμους τ' ἔμεναι*, **N** 310 *ἐπεὶ οὔ ποθι ἔλπομαι οὕτως* / *δεύεσθαι πολέμοιο κάρη κομόωντας Ἀχαιούς* [2]; *ι* 419 *οὕτω γάρ πού μ' ἤλπετ' ἐνὶ φρεσὶ νήπιον εἶναι*. Huc etiam referendum puto **K** 356 *ἔλπετο γὰρ κατὰ θυμὸν ἀποστρέψοντας ἑταίρους* / *ἐκ Τρώων ἰέναι πάλιν Ἕκτορος ὀτρύναντος*, quamquam enim *ἰέναι* post hujusmodi verba apud Homerum futurum tempus indicat, tamen, quum legatur versu antecedente *ὁ δ' ἄρ' ἔστη δοῦπον ἀκούσας*, melior videtur interpretatio: sperabat socios ab Hectore missos *venire*. Post *ἀελπτέω* omisso subjecto infinitivus præsentis occurrit **H** 310 *καί ῥ' ἦγον προτὶ ἄστυ ἀελπτέοντες σόον εἶναι*.

γ) *Perfecti* infinitivus occurrit (acc. c. inf.) **O** 110 *ἤδη γὰρ νῦν ἔλπομ' Ἄρηΐ γε πῆμα τετύχθαι*, **P** 405 *τό μιν οὔ ποτε ἔλπετο θυμῷ* / *τεθνάμεν*, ubi perfectum sequenti futuro *ἀπονοστήσειν* opponitur, *ζ* 297 *ἐπὴν ἡμέας ἔλπῃ ποτὶ δώματ' ἀφῖχθαι*: nos domum *redisse*.

δ) *Aoristi* infinitivus post *ἔλπομαι* et de præterito et de futuro tempore apud Homerum occurrit. De præterito tempore [3] in constructione accusativi cum infinitivo **Π** 199 *ἐπεὶ οὐδ' ἐμὲ νηΐδα οὕτως* / *ἔλπομαι ἐν Σαλαμῖνι γενέσθαι τε τραφέμεν τε*, *me natum educatumque esse* et *ψ* 346 *ὁππότε δή ῥ' Ὀδυσῆα ἐέλπετο ὃν κατὰ θυμὸν* / *εὐνῆς ἧς ἀλόχου ταρπήμεναι ἠδὲ καὶ ὕπνου*, *Ulixem delectatum esse*. Neque dubium videtur, quin huc etiam referendum sit **Π** 282 *ἐλπόμενοι* — — *Πηλεΐωνα* / *μηνιθμὸν μὲν ἀποῤῥῖψαι φιλότητα δ' ἑλέσθαι*, quem locum editores vulgo de præterito interpretantur. Sententia enim hæc est Trojanos, quum Patroclum armis Achillis indutum viderent, eum pro Achille ha-

---

[1] Cfr. quod supra p. 21 ad *φ* 97 commemoratum est.

[2] Schol.: *οὐδαμοῦ ἐνδεεῖς τοσοῦτον οἶμαι τῶν βοηθησόντων εἶναι τοὺς Ἀχαιούς* —.

[3] Hunc aoristi infinitivi de præterito usum Madvigius nimis artis terminis circumscribere videtur, quum dicit (Adv. Crit. I. p. 178): *De præterito spes non dicitur nisi rei absolutæ, ut perfecto non aoristo locus sit;* nam neque iis locis, ubi spei significatio in vim existimandi abiit, neque iis, ubi spes rei præteritæ, cujus exitum ignoramus, commemoratur, quidquam impedire videtur, quominus aoristi infinitivus usurpetur.

buisse perterritosque opinatos esse Achillem cum suis in gratiam atque reconciliationem redisse. Loco illo *O* 289 *ἦ θήν μιν μάλα ἔλπετο θυμὸς ἑκάστου | χερσὶν ὑπ' Αἴαντος θανέειν Τελαμωνιάδαο.* Madvigius [1] aoristum de futuro interpretatur. Quum tamen difficilius sit in constructione, quæ est accusativus cum infinitivo, ubi ad certum indicativi tempus infinitivus referatur necesse sit, futuri significationem aoristo tribuere, hic locus ita interpretandus videtur: credebat unusquisque eum ab Ajace *interfectum esse*, quæ interpretatio non inepta videbitur, si considerabimus *Ξ* 402—449 narrari Hectorem, quum in pugna ab Ajace lapide ictus esset, semianimum e proelio ad urbem versus ductum esse, ita ut facile suspicari possent Græci eum mortem obisse.

ε) De tempore *futuro* solus aoristi infinitivus occurrit *M* 407 *ἐπεί οἱ θυμὸς ἐέλπετο κῦδος ἀρέσθαι*, ubi tamen Nauckius *ἔλπετο* in *ἔλδετο* mutavit, quæ lectio non omni librorum fide caret, et *γ* 320 *ὅθεν οὐκ ἔλποιτό γε θυμῷ | ἐλθέμεν*, quo loco, si Nauckium sequimur v. 319 *γε* in *κε* mutantem, forsitan particulam *κε* etiam ad infinitivum referre possimus. Quum vero *M* 407, quamquam lectio *ἔλδετο* [1] ferri potest atque satis probabilem reddit sententiam, tamen ad loci sententiam aptior videatur sperandi (*ἔλπετο*) quam optandi (*ἔλδετο*) significatio — nam optasse Ajacem gloriam parare adeo perspicuum est, ut vix dici necesse fuerit — et particula *κε* apud Homerum ad infinitivum rarissime referatur, non audacius videtur statuere infinitivum his locis, ubi futurum respici satis apparet, abjecta temporis significatione ad vim substantivi propius accessisse. — *Γ* 112 *ἐλπόμενοι παύσασθαι ὀιζυροῦ πολέμοιο* aoristi infinitivus optimorum librorum auctoritate firmatur. Quo loco difficile esse potest dijudicare, utrum aoristum interpretemur de præterito: *sperantes se bellum molestum ad finem perduxisse;* nam bellum ad finem perductum esse dici poterat, cum jam constitutum esset, ut Menelaus et Alexander pugna singulari certarent, an aoristi infinitivum futurum tempus significare statuamus, an *παύσασθαι* in *παύσεσθαι* mutemus. *φ* 158 *νῦν μέν τις καὶ ἔλπετ' ἐνὶ φρεσὶν ἠδὲ μενοινᾷ | γῆμαι Πηνελόπειαν* apparet aoristum *γῆμαι* potius referri ad *μενοινᾷ*, quod verbum cum aoristi infinitivo sæpe conjungi satis est notum.

---

[1] Adv. Crit. I p. 179.

[2] *ἔλδομαι* cum aor. inf. occurrit *ε* 219 *ἐθέλω καὶ ἐέλδομαι ἤματα πάντα | οἴκαδέ τ' ἐλθέμεναι καὶ νόστιμον ἦμαρ ἰδέσθαι.* *δ* 162 *ἐέλδετο γάρ σε ἰδέσθαι.* *ο* 66 *ἤδη γάρ μοι θυμὸς ἐέλδεται οἴκαδ' ἱκέσθαι.* *σ* 154 *θυμός μοι ἐέλδεται, οὔ τι πάρος γε, | μνηστήρεσσι φανῆναι.* *κῦδος ἀρέσθαι* præterea occurrit post *φρονέω* *P* 287, post *ἵεμαι* *Y* 502, post *μενεαίνω* *Φ* 543.

c) Post substantivum *ἐλπωρή* accusativus cum infinitivo *futuri* occurrit ψ 287 *ἐλπωρή τοι ἔπειτα κακῶν ὑπάλυξιν ἔσεσθαι*. Contra solus infinitivus *aoristi* β 280 *ἐλπωρή τοι ἔπειτα τελευτῆσαι τάδε ἔργα* et η 76 *ἐλπωρή τοι ἔπειτα φίλους τ' ἰδέειν καὶ ἱκέσθαι κ. τ. λ.* et ζ 314, ubi idem versus occurrit sed spurius existimatur. Et si post verbum *ἔλπομαι* aoristi infinitivus de futuro usurpari potest, multo minus mirabile videtur hoc fieri posse post substantivum *ἐλπωρή*; quamquam enim hoc substantivum audito verbo *ἐστί* ad vim verbi sperandi transiit, tamen infinitivi illi ad solum substantivum eodem fere modo, quo in Latina lingua gerundium genitivi usurpatur, relati ad significationem substantivorum propius accessisse existimandi sunt [1].

d) A verbis sperandi non longe absunt verba *exspectandi*, e quibus *δέχομαι* cum futuri infinitivo his locis conjunctum est ι 514 *αἰεί τινα φῶτα μέγαν καὶ καλὸν ἐδέγμην / ἐνθάδ' ἐλεύσεσθαι*, μ 230 *ἔνθεν γάρ μιν ἐδέγμην πρῶτα φανεῖσθαι*. — Huc etiam referri potest verbum *δείδω*, quod cum futuri infinitivo conjungitur Ξ 343 *μήτε θεῶν τό γε δείδιθι μήτε τιν' ἀνδρῶν / ὄψεσθαι* et mutata constructione χ 39, 40 *οὔτε θεοὺς δείσαντες . . . . οὔτε τιν' ἀνθρώπων νέμεσιν κατόπισθεν ἔσεσθαι*.

2. a) Inter promittendi verba, ad quæ nunc transgredimur, primum commemoranda sunt *ὑπίσχομαι, ὑφίσταμαι (ὑπέστην), κατανεύω*.

α) Iis locis, ubi ad hæc verba nullum substantivum objecti loco positum est, semper fere occurrit infinitivus futuri aut infinitivus ejusmodi, qui post dicendi et sentiendi verba futuri utitur significatione. Post *ὑπίσχομαι* occurrit accusativus cum infinitivo θ 348 *ἐγὼ δέ τοι αὐτὸν ὑπίσχομαι — — τίσειν αἴσιμα πάντα*. Solus infinitivus, qui post hæc verba aut de subjecto verbi promit-

---

[1] Eodem modo infinitivus ad substantiva refertur N 98 *νῦν δὴ εἴδεται ἦμαρ ὑπὸ Τρώεσσι δαμῆναι* (quamquam hoc loco Hentzius statuit ad *δαμῆναι* cogitandum esse subjectum *ἡμᾶς*) O 720 *νῦν ἡμῖν πάντως Ζεὺς ἄξιον ἦμαρ ἔδωκεν / νῆας ἑλεῖν*, Y 349 *οὔ οἱ θυμὸς ἐμεῦ ἔτι πειρηθῆναι / ἔσσεται*. Confer verba *Herzogii*, quæ Hentzius in Anh. ad K 173 *νῦν γὰρ δὴ πάντεσσι ἐπὶ ξυροῦ ἵσταται ἀκμῆς / ἢ μάλα λυγρὸς ὄλεθρος Ἀχαιοῖς ἠὲ βιῶναι* affert ex Jahrb. f. Philol. 1873 p. 17: Ein so entschieden nominativer Gebrauch aber muss als Wendepunkt anerkannt werden in der Rolle, welche der Infinitiv spielt. Nunmehr ist er geignet als ein Abstractum zu erscheinen, *das zwar indeclinabel ist aber in jeder nominalen Beziehung gebraucht werden kann*.

[2] Contra verba *μένω* et *ὑπομένω* in eadem fere significatione cum aoristi infinitivo conjunguntur, quod ipsa finem vel propositum indicant, ita ut infinitivus consecutivam vim habeat Δ 247 *ἦ μένετε Τρῶας σχεδὸν ἐλθέμεν*, O 600 *τὸ γὰρ μένε μητίετα Ζεύς / νηὸς καιομένης σέλας ὀφθαλμοῖσιν ἰδέσθαι*, α 411 *οὐδ' ὑπέμεινεν γνώμεναι*, α 422 *μένον δ' ἐπὶ ἑσπέραν ἐλθεῖν* = δ 786 = σ 305. ζ 98 *εἵματα δ' ἠελίοιο μένον τερσήμεναι αὐγῇ*.

tendi aut de eo, cui promittitur aliquid, prædicatur, invenitur *Z* 94 *ἱερευσέμεν* = *Z* 275, *X* 117—18 *δωσέμεν* — *ἀποδάσσεσθαι* (ita omnes legunt, quamquam plurimi codices *ἀποδάσασθαι* habent). 292 *ἐξελάαν*. Conjuncta *ὑπίσχομαι* et *κατανεύω* occurrunt *B* 113 *σχέτλιος ὃς πρὶν μέν μοι ὑπέσχετο καὶ κατένευσεν* / *Ἴλιον ἐκπέρσαντ' εὐτείχεον ἀπονέεσθαι* = *I* 20, *N* 369 *δωσέμεναι*, *δ* 7 *δωσέμεναι*. — Sine *ὑπίσχομαι* occurrit *κατανεύω* *K* 393 *ὅς μοι Πηλείωνος ἀγανοῦ μώνυχας ἵππους* / *δωσέμεναι κατένευσε*. — *ὑπέστην* cum *futuri* infinitivo conjungitur *I* 446 *οὐδ' εἴ κέν μοι ὑποσταίη θεὸς αὐτός* / *γῆρας ἀποξύσας θήσειν νέον ἡβώοντα*, *T* 135 *ὅσσ' Ἀχιλῆϊ* / *χθιζὸν ὑπέστημεν δώσειν*. Contra nonnihil mutata significatione [1] *aoristi* infinitivo utitur *Φ* 274 *Ζεῦ πάτερ ὡς οὔ τίς με θεῶν ἐλεεινὸν ὑπέστη* / *ἐκ ποταμοῖο σαῶσαι*.

β) Etiam iis locis, ubi ad promittendi verbum nomen quoddam (*ὑπόσχεσις*, *ἔργον*, *μῦθος*, *ἀπειλαί*) objecti loco ante infinitivum positum est [2], plerumque futuri infinitivus usurpatur et quidem post *ὑπίσχομαι* *N* 367 *ὑπέσχετο δὲ μέγα ἔργον* / *ἐκ Τροίης ἀέκοντας ἀπωσέμεν υἷας Ἀχαιῶν*, — post *ὑφίσταμαι* *B* 288 — *ὑπόσχεσιν ἥν περ ὑπέσταν* — — *Ἴλιον ἐκπέρσαντ'* (= *ἐκπέρσαντά σε*) *εὐτείχεον ἀπονέεσθαι*, *E* 716 *ἦ ῥ' ἅλιον τὸν μῦθον ὑπέστημεν Μενελάῳ* / *Ἴλιον ἐκπέρσαντ' εὐτείχεον ἀπονέεσθαι*, *Ψ* 21, 22 *πάντα* — *τὰ πάροιθεν ὑπέστην* / *Ἕκτορα* — — *δώσειν κυσὶν ὠμὰ δάσασθαι* — — — *ἀποδειροτομήσειν*, *κ* 484 *τέλεσόν μοι ὑπόσχεσιν ἥν περ ὑπέστης* / *οἴκαδε πεμψέμεναι*. Huc etiam referendus est locus ille *Θ* 229—33 *πῇ ἔβαν εὐχωλαί, ὅτε δὴ φάμεν εἶναι ἄριστοι* / *ἃς ὁπότ' ἐν Λήμνῳ κενεαυχέες ἠγοράασθε* — — *Τρώων ἀνθ' ἑκατόν τε διηκοσίων τε ἕκαστος* / *στήσεσθ' ἐν πολέμῳ*, ubi anacoluthice omissum est verbum quoddam *ἐλέγετε, ὑπέσχεσθε*, cujus objectum pronomen relativum *ἅς* est. Duobus locis post *ὑπίσχομαι* infinitivus præsentis occurrit *K* 40 *δείδω μὴ οὔ τίς τοι ὑπόσχηται τόδε ἔργον* / *ἄνδρας δυσμενέας σκοπιαζέμεν οἶος ἐπελθών* et *Y* 84 *ποῦ τοι ἀπειλαί* / *ἃς Τρώων βασιλεῦσιν ὑπίσχεο οἰνοποτάζων* / *Πηλείδεω Ἀχιλῆος ἐναντίβιον πολεμίζειν;* hoc tamen loco et Nauckius et La Rochius (Ed. Crit. 1876) *πολεμίζειν* in *πολεμίξειν* mutaverunt; quæ emendatio etiam Cobeto et Nabero [3] probata, etiamsi non prorsus necessaria est, tamen, quum persæpe in libris *Z* pro *Ξ* scriptum sit et præsentis infinitivus post promittendi verba perraro occurrat,

[1] Ebbeling, Lex. Hom.: *recipio in me, sustineo.* Capellii Hom. Wörterb.: über sich nehmen, sich unterziehen, unternehmen, (vgl. "wofür stehen" Schol. *τλῆναι*) mit Inf. *σαῶσαι*.

[2] Quæ ratio intercedat inter infinitivum et substantivum illud, disputat Hentzius Anhang ad Ilias *K* 40.

[3] Cob. l. l. p. 330. Nab. l. l. p. 104.

haud scio an recipienda sit, præsertim quum altero illo loco, ubi legitur *σκοπιαζέμεν*, quod verbum futuro tempore caret, verbum *ὑπίσχομαι* in eandem fere significationem, quam habet *ὑπέστην* Φ 274, transisse videatur.

b) Præterea hæc verba in promittendi significatione occurrunt: *εὔχομαι* de votis deo cuidam susceptis Δ 102 *εὔχεο δ' Ἀπόλλωνι λυκηγενέι κλυτοτόξῳ / ἀρνῶν πρωτογόνων ῥέξειν κλειτὴν ἑκατόμβην* = Δ 120; ρ 51 *εὔχεο πᾶσι θεοῖσι τελήεσσας ἑκατόμβας / ῥέξειν* = ρ 60. *γουνοῦμαι* κ 523—24 *πολλὰ δὲ γουνοῦσθαι νεκύων ἀμενηνὰ κάρηνα / — — — στεῖραν βοῦν — / ῥέξειν — πυρήν τ' ἐμπλησέμεν ἐσθλῶν / — — ὄιν ἱερευσέμεν* = λ 31, 32. Promittendi significatione utitur *ἀράομαι* [1], quod ceteris locis *precari* significat, Ψ 145 *ἄλλως σοί γε πατὴρ ἠρήσατο Πηλεὺς / κεῖσέ με νοστήσαντα φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν / σοί τε κόμην κερέειν ῥέξειν θ' ἱερὴν ἑκατόμβην / — ἱερεύσειν*, — et *ἐπιτέλλω* [2] Ω 781 *Ἀχιλλεὺς / πέμπων μ' ὧδ' ἐπέτελλε μελαινάων ἀπὸ νηῶν / μὴ πρὶν πημανέειν, πρὶν δωδεκάτη μόλῃ ἠώς.*

Verbum illud *στεῦται* (*στεῦτο*) in Iliade sex locis cum futuri infinitivo conjunctum occurrit, ita ut omnibus communis esse videatur *prædicendi* vel *promittendi* significatio [3] Β 597 *στεῦτο γὰρ εὐχόμενος νικησέμεν*, Γ 83 *στεῦται γάρ τι ἔπος ἐρέειν κορυθαίολος Ἕκτωρ*, Ε 833 *πρώην — — στεῦτ' ἀγορεύων — μαχήσεσθαι*, Ι 241—43 *στεῦται γὰρ νηῶν ἀποκόψειν ἄκρα κόρυμβα / αὐτάς τ' ἐμπρήσειν μαλεροῦ πυρὸς αὐτὰρ Ἀχαιοὺς / δῃώσειν*, Σ 191 *οἰσέμεν*, Φ 455 *ἀπολειψέμεν*. Cum infinitivo aoristi de rebus præteritis nonnihil mutata significatione occurrit [4] ρ 525 *στεῦται δ' Ὀδυσῆος ἀκοῦσαι.*

c) Huc etiam referendum est Θ 246 *νεῦσε δέ οἱ λαὸν σόον ἔμμεναι οὐδ' ἀπολέσθαι*, quo loco omnes libri aoristum præbent. Bekkerus tamen Aristarchum sequens *ἀπολεῖσθαι* legit itemque alii nonnulli editores. La Rochius et Nauckius aoristum retinuerunt. Quod si *ὀλεῖσθαι* legendum est, etiam pro *εἶναι*

---

[1] Capellii Wörterb. *ἀράομαι: τινὶ* mit folgendem Acc. c. inf. Fut. zu einem flehend geloben Il. 23. 144.

[2] Capellii Wörterb.: *er erklärte.* Ebeling, Lex. Hom. affert verba Düntzeri: *ἐπέτελλε* hier in auffallender Weise von einer Zusage, da es sonst immer einen Auftrag, einen Befehl bezeichnet.

[3] Capelli Wörterb.: verheissen, versichern, prahlen, drohen. Ebeling, Lex. Hom.: c. inf. fut. stat mihi sententia, steht danach, intendo, in animum induco. Cfr. Lehrs (2 aufl.) 98 — alii: glorio, affirmo gloriabundus, profiteor, promitto.

[4] Capelle l. l.: er geberdet sich so als habe er gehört, will gehört haben. Ebeling l. l.: in animum inducit, i. e. putat se audisse.

ἔσεσθαι (*ἔσσεσθ'*) legendum videtur. Hoc tamen loco infinitivi præsentis et aoristi eo defendi posse videntur, quod verbum *νεύω* non tam *promittendi* quam *permittendi, concedendi* significationem habet. Quod autem hoc loco occurrit particula negativa *οὐ* (non *μή*), non dubito, quin hoc propter oppositionem inter infinitivos illos *σόον ἔμμεναι* et *ἀπολέσθαι* factum sit [1]; quod nisi ita esset, etiamsi *νεύω* promittendi vim haberet, negatio *μή* potius quam *οὐ* exspectari posset [1]. Eodem modo inter significationem *negandi* (*οὐ φάναι*) et *interdicendi, vetandi* (*οὐκ ἐᾶν*) vel *recusandi* (*οὐκ ἐθέλειν*) quasi in medio posita sunt verba *ἀναίνομαι* et *ἀνανεύω*. Illa significatio elucet *Σ* 500 *ὁ δ' ἀναίνετο μηδὲν ἑλέσθαι, negavit se quicquam accepisse*, ubi aoristus de præterito usurpatur; hæc apparet *Σ* 450 *αὐτὸς μὲν ἔπειτ' ἠναίνετο λοιγὸν ἀμῦναι recusavit, ne perniciem arceret*, et *Ψ* 204 *ἡ δ' αὖθ' ἕζεσθαι μὲν ἀνήνατο*: *recusavit, quominus sederet.* Præ formæ ambiguitate decerni non potest, utra significatio addenda sit verbo *ἀνανεύειν* *Π* 252 *σόον δ' ἀνένευσε μάχης ἔξ ἀπονέεσθαι*; tamen propter antecedens illud *νηῶν μέν οἱ ἀπώσασθαι πόλεμόν τε μάχην τε* / *δῶκε* verisimilius videtur *ἀνανεύειν* hoc loco vetandi significationem habere.

3. Ad verba promittendi proxime accedunt *minandi* verba *ἀπειλέω* et *ἐπαπειλέω*. — Cum *futuri* infinitivo occurrit *ἀπειλέω* *Α* 161 *καὶ δή μοι γέρας αὐτὸς ἀφαιρήσεσθαι ἀπειλεῖς*, *Θ* 416—17 *γυιώσειν* — *βαλέειν* — *ἄξειν* —, *Ν* 144 *διελεύσεσθαι*, *Ο* 180 *ἐλεύσεσθαι*, *Φ* 454 *δήσειν* — *περάαν*, *λ* 314 *στήσειν*. *ἐπαπειλέω* *Ξ* 46 *ἀπονέεσθαι*. — Minandi significatio in vim *promittendi* abiit *Ψ* 863 *οὐδ' ἠπείλησεν ἄνακτι* / *ἀρνῶν πρωτογόνων ῥέξειν ἱερὴν ἑκατόμβην* = *Ψ* 873. — *Præsentis* infinitivus de futuro legitur *Ι* 683 *αὐτὸς ἠπείλησεν ἅμ' ἠοῖ φαινομένηφι* / *νῆας ἐυσσέλμους ἅλαδ' ἑλκέμεν* (in uno libro *ἑλξέμεν*). Sine futuri temporis significatione præs. inf. occurrit *ϑ* 383 *ἀπείλησας βητάρμονας εἶναι ἀρίστους*.

4. a) *Jurandi* verbum *ὄμνυμι*, ad quod persæpe objecti loco additur substantivum *ὅρκον* [2], et illæ locutiones, quæ jurandi significationem habent [3], quum futurum tempus respiciunt, semper fere *futuri* infinitivo utuntur: accusativus cum infinitivo futuri occurrit *Τ* 109 *νῦν μοι ὄμοσσον Ὀλύμπιε καρτερὸν ὅρκον* /

---

[1] Cfr. CHR. CAVALLIN, *Grekisk Syntax* § 262. 1. cfr. § 260. b.

[2] Cfr. *μέγαν ὅρκον* (*θεῶν* l. *μακάρων*) *ὀμόσσαι* (l. *ὀμνύναι*) *Ι* 133, 275, *ε* 178, *κ* 299 343. — *καρτερὸν ὅρκον* *Τ* 108, 127, *πολέας ὅρκους* *Υ* 313.

[3] Quales sunt *ὅρκῳ πιστωθῆναι* *ο* 346; *μέγαν ὅρκον ἑλέσθαι* *δ* 746, *γερούσιον ὅρκον ἑλέσθαι* *Χ* 119. — *ἴστω νῦν Ζεὺς κ. τ. λ.* *Τ* 258, *ἴστω νῦν τόδε γαῖα κ. τ. λ.* *ε* 184.

ἦ μὲν τὸν πάντεσσι περικτιόνεσσιν ἀνάξειν —, *T* 129 *ὤμοσε καρτερὸν ὅρκον* / *μήποτ'* — — *αὖτις ἐλεύσεσθαι Ἄτην ἢ πάντας ἀᾶται*. Solus futuri infinitivus de eo, qui jurat, prædicatus occurrit *A* 77 — *καί μοι ὄμοσσον ἦ μέν μοι πρόφρων ἔπεσιν καὶ χερσὶν ἀρήξειν*, *K* 323 *ὄμοσσον ἦ μὲν — δωσέμεν*, *Ξ* 275 *ὄμοσσον ἀάατον Στυγὸς ὕδωρ* / — *ἦ μὲν — δώσειν* —, *Y* 315 *πολέας ὀμόσσαμεν ὅρκους μὴ — ἀλεξήσειν* —. *Φ* 374 *τόδ' ὀμοῦμαι μὴ — ἀλεξήσειν*. — *X* 120 — *κατακρύψειν* —, *δ* 747 *ἐμεῦ δ' ἕλετο μέγαν ὅρκον* / *μὴ πρίν σοι ἐρέειν*, *ε* 179 *μέγαν ὅρκον ὀμόσσαι μὴ — βουλευσέμεν* —, 187 *ἴστω νῦν τόδε γαῖα καὶ οὐρανὸς κ. τ. λ.* — *μή τί τοι αὐτῷ πῆμα κακὸν βουλευσέμεν ἄλλο* (ubi accusativus eam ob causam omissus est, quod *ἴστω κ. τ. λ.* idem est quod *ὄμνυμι*), *κ* 300 *βουλευσέμεν*, 344 *βουλευσέμεν*, *ο* 436 *εἴ μοι ἐθέλοιτέ γε ναῦται* / *ὅρκῳ πιστωθῆναι ἀπήμονα οἴκαδ' ἀνάξειν*. — Commemorandus præterea est locus ille *I* 455 *πατὴρ δ' ἐμὸς* — — *πολλὰ κατηρᾶτο στυγερὰς δ' ἐπεκέκλετ' Ἐρινῦς* / *μή ποτε γούνασιν οἷσιν ἐφέσσεσθαι φίλον υἱόν*, quo loco Bekkerus infinitivum futuri ad *στυγερὰς ἐπεκέκλετ' Ἐρινῦς* referendum censet, plurimi editores ad *κατηρᾶτο*. Haud scio, an infinitivus ad totam sententiam antecedentem, quæ in jurandi locutionem quodam modo transiit, optime referatur [1].

b) Cum infinitivis *præsentis* et *perfecti* verbum *ὄμνυμι* occurrit *ξ* 332 *ὤμοσε δὲ πρὸς ἔμ' αὐτόν .... νῆα κατειρύσθαι καὶ ἐπαρτέας ἔμμεν ἑταίρους* et *τ* 289 ubi eadem fere leguntur. De *præterito tempore* post jurandi locutiones *aoristi* infinitivus non raro usurpatur et quidem apud Homerum his locis: *T* 261 *ἴστω νῦν Ζεὺς κ. τ. λ. μὴ μὲν ἐγὼ κούρῃ Βρισηΐδι χεῖρ' ἐπενεῖκαι*, ubi *ἐγὼ* anacoluthice in nominativo occurrit, propterea quod *ἴστω κ. τ. λ.* idem est, quod *ὄμνυμι*. Solus infinitivus usurpatur *I* 133 *ἐπὶ δὲ μέγαν ὅρκον ὀμοῦμαι* / *μή ποτε τῆς εὐνῆς ἐπιβήμεναι ἠδὲ μιγῆναι* = *I* 275 = *T* 176, ubi eadem fere repetuntur, quibus de locis nemo, opinor, L. Meyero assentietur aoristi infinitivos tempus præteritum significare statuenti.

c) De *futuro* tempore *aoristi* infinitivus occurrit *β* 373 *ἀλλ' ὄμοσον μὴ μητρὶ φίλῃ τάδε μυθήσασθαι*, / *πρίν γ' ὅταν κ. τ. λ.* et *δ* 254 *ὤμοσα καρτερὸν ὅρκον* / *μὴ μὲν πρὶν Ὀδυσῆα μετὰ Τρώεσσ' ἀναφῆναι πρίν γε τὸν κ. τ. λ.* Illo tamen loco Nauckius *μυθήσασθαι* in *μυθήσεσθαι* mutavit assentientibus Madvigio, Cobeto, Nabero [2]. Et quum aoristus facillime in futurum mutari possit, haud scio an satis causæ sit, cur legitimum infinitivi tempus huic loco Homerico restitua-

---

[1] Capelle Wörterb. ad *καταράομαι*: Er gelobte unter vielen Verwünschungen, dass er ....

[2] Cfr. Madv. Adv. Crit. I. p. 170. Cobet. l. l. p. 329. Naber l. l. p. 102.

mus, præsertim quum non appositum sit objecti loco substantivum *ὅρκον*, quod altero loco *δ* 254 factum est, et præterea *δ* 747, ubi Euryclea hanc rem commemorat, futurum legatur *μὴ πρίν σοι ἐρέειν*. Quamquam his duobus locis defendi posse videtur [1] aoristus ea re, quod post verbum *ὀμνύναι* nonnumquam occurrit sententia objectiva finalis, ut *μ* 298—301 *νῦν μοι πάντες ὀμόσσατε καρτερὸν ὅρκον — — μή πού τις — — / ἢ βοῦν ἠέ τι μῆλον ἀποκτάνῃ* et *σ* 55—57 *νῦν μοὶ πάντες ὀμόσσατε καρτερὸν ὅρκον / μή τις — ἐμὲ χειρὶ βαρείῃ / πλήξῃ*, ad quarum enuntiationum significationem infinitivus aoristi nonnumquum quam proxime accedit. Contra *X* 119—20 *Τρωσὶν δ' αὖ μετόπισθε γερούσιον ὅρκον ἕλωμαι / μήτι κατακρύψειν ἀλλ' ἄνδιχα πάντα δάσασθαι* recte sine dubio Nauckius *δάσασθαι* in *δάσεσθαι* mutavit [2], quum appareat utroque infinitivo idem prorsus tempus respici, ne eodem loco formæ, quæ contrarium tempus indicare solent, de eodem tempore conjuncta occurrant.

Brevissime addendum censeo *I* 230 lectionem Bekkeri *ἐν δοιῇ δὲ σόας ἔμεν* (l. *σαὰς ἔμεν*) *ἢ ἀπολέσθαι / νῆας ἐυσσέλμους* (pro *σαωσέμεν*, quod in libris est), quæ lectio L. Meyero [3] quoque et Nauckio probatur, mihi recipiendam videri, quum eam satis defendi putem loco Herodoteo IX. 60 *ἀγῶνος μεγίστου προκειμένου ἐλευθέρην εἶναι ἢ δεδουλωμένην τὴν Ἑλλάδα.*

---

[1] Hentzius, qui Anhang ad *β* 373 hos aoristos defendit, hunc aoristi usum comparat cum usu aoristi optativi, qui in jurando nonnumquam occurrit, velut *X* 304 sq., *χ* 462 sqq.

[2] Cfr. Cob. l. l. p. 329. Nab. l. l. pp. 102—3. — Futurum *δάσονται* una litera *σ* formatum occurrit *X* 354 *κατὰ πάντα δάσονται*.

[3] Griech. Aor. p. 86: 'es ist zweifelhaft (etwa = wir vermuthen, dass jetzt entweder — oder —) ob die Schiffe unverzehrt sind oder zu Grunde gehen'.

Addendum.

Pag. 7 statuimus aoristi infinitivum de præterito usurpatum esse *γ* 125 *οὐδὲ κε φαίης / ἄνδρα νεώτερον ὧδε ἐοικότα μυθήσασθαι* et *Z* 285 *εἰ κεῖνόν γε ἴδοιμι κατελθόντ' Ἄιδος εἴσω / φαίην κε φρέν' ἀτέρπου ὀιζύος ἐκλελαθέσθαι*, quamquam Hentzius, Comment. *γ* 125 (Ed. VII. 1879): "*μυθήσασθαι*", inquit, "Infinit. Aor. vom Eintritt der Handlung, ohne temporale Beziehung", altero autem loco (Ed. II. 1874) *ἐκλελαθέσθαι* infinitivo præs. *(gänzlich zu vergessen)* reddit. Idem ad *η* 293 *ὡς οὐκ ἂν ἔλποιο νεώτερον ἀντιάσαντα / ἐρξέμεν*, de quo loco quid statuerit Ameisius, supra (p. 21 not. 3) attulimus, legentes delegat ad *γ* 125 (Ed. VI. 1876), ita ut existimare videatur hoc loco *κε* etiam ad *μυθήσασθαι* pertinere, quæ opinio probabilis videretur, si *κε* l. *ἂν* paulo sæpius apud Homerum ad infinitivos referretur. Quum autem, ut *Γ* 392 *οὐδέ κε φαίης / ἀνδρὶ μαχησάμενον τόν γ' ἐλθεῖν*, ita utroque hoc loco (*γ* 124, *Z* 285) *φαίης* (-*ην*) *κε* tempus præsens significare vulgo existiment, quæ significatio omnino necessaria est *Z* 285, nihil impedire videtur, quominus infinitivos (*ἐλθεῖν*), *μυθήσασθαι*, *ἐκλελαθέσθαι* de tempore præterito usurpatos putemus.

Summarium.
